



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Specvli Vanitatis Ecclesiastae Capvt Secvndvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SPECULI
VANITATIS
ECCLESIASTAE
CAPVT SECVNDVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. I. Dixi ego in corde meo : Vadam, & affluam deliciis, & fruam bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.

2. Risum reputaui errorem : & gaudio dixi : Quid frustra deciperis?

METRICA PARAPHRASIS.

DICEBAM : Si tanta moues fastidia, Phœbe,
Si tantum Sophia munera fellis habent ;
Ite leues hedera, contracta premia frontis,
Docta que cingis tempora, Daphni vale.
Nil mihi vobiscum est, Helicon & Cyrrha valete,
Vnda que, quam fodit pes volitantis equi.
Este procul cura, durum genus ; ite Camœna :
Pulpita cum libris in mare ferte Noti.
Tu que ades, ô domitrix curarum, blanda voluptas,
Tu que ô Bacche pater ; iam tua castra sequor.
Sparge merum pateris, laticem que inuerge sacratum ;
Latitiae facimus, sparge Lyæ merum,

Ipsa

Ipsa Venus nato veniat comitata, volentque
 Hanc circum teneri, ludicra turba, ioci.
 Quid moror hic fragilis decerpere lilia vite,
 Dum roseis etas vernat amœna genis?
 Euge anime, Assyriâ madeant tibi tempora nardo,
 Et croceo stillet mollis ab imbre coma:
 Euge, sonent citharæ, digitoque impulsa loquaci
 Dulce animet carmen fila canora lyræ.
 Euge dapes dapibus, Saliaribus aduice mensis,
 Eoi prædas Occiduique maris.
 Murena lactes, cerebellaque phasidos, & que
 Regia Iunonis fercla ministrat auis,
 Ambrosiæque fauos, quos educat Indica canna:
 Non faciunt stomacho fercula trita meo.
 Sic ego deliciis satur, impuraque Diones
 Victima, lenæo gurgite mersus eram,
 Ut sese, plaudensque alis, & flumine mersans
 Proluit Icario sidere tactus olor;
 Et velut amphibius liquido sub gurgite gemmas
 (Quas pascunt rores, factaque concha parit)
 Scrutatur Malabar: sic gurgite deliciarum
 Mortalis voti rebar inesse caput.
 Hei mihi, quàm falsâ luduntur imagine sensus!
 Irrita quàm vanum somnia mittit ebur!
 Non hic norma boni, non vite summa beata,
 Non saties voti, non adamata quies.
 Ergo vbi lux pulsâ sese extulit aurea nocte
 Ingemui laqueis implicuisse caput.
 O fallax Siren! ô perfida lena, voluptas!
 Hei mihi, quot blandâ nubila fronte tegis!
 Sub risu abscondis lacrymas, sub melle venenum,
 Ut celant Paphie spinea tela rosæ.

Quid

Quid Cytherea iuuat, si seuius odit amando,
 Aspera blanditiis, ac truculenta iocis?
 Quid profunt Regum, dispendia dulcia, mense,
 Quod fuit in votis, si venit inde minus?
 Quidve voluptatis suco delusa sagina,
 Si quantum hæc pœna, non habet ipsa fames?
 Nectare & ambrosiâ pascantur, & ilia tendant,
 Tantale siue tuis, siue Corinthe tuis;
 Proxima deliciis iungunt fastidia gressum,
 Porrigit atque epulis nausea lassa manum.
 Et tamen est aliquis, qui suspicit Orgia mundi?
 Qui celebrat mediis ludicra festa malis?
 Non benè sollicito veniunt de pectore risus,
 Non benè mœrenti fingitur ore iocus.
 Sardoæ veluti mala gramina pastus arator
 Ridet, & in risu tristia fata trahit:
 Sic risus perimunt, humanaque gaudia fallunt,
 Et restat Nemesis scena pianda manu.
 Frange toros, cape sarta, iocos sere, cinnama sparge,
 Prome dapes, induc Cyprida, plaude choros;
 Exiget & Bromius pœnas, & seua Dione,
 Et magè nequitia conscia corda sue.

PROSA EXEGESIS.

SAPIENTER est illud à D. Bernardo pronuntiatum: Bernard.
 Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia. Postquam lib. de G. rat.
 enim diu hominem beatitatis cupidum umbris, ac & lib. arb.
 ventis, & inani specie lactauit, tandem ieiunum ac famelicum, ne dicam cicutâ aut herbâ Sardonicâ, ceterisque noxiis repletum, & à beatitatis metâ, quam sibi præfixerat, longissimè aberrantem destituit. Expertus Voluptas
 est hoc magno suo malo noster Ecclesiastes, cui aptari Salomonem
 I enervauit.
 possunt

Seneca
Consolat.
ad Helui.

3. Regum
11, 3.

Cant. 6, 7.

Hierony.
Epist. 132.
ad Vitale.

Delius li-
bro 1. Disq.
Magic. c. 5.
Eccli. 47.

Cleopatra
luxu.

Vide Lipsij
Admiran-
da li 4. c. 7.

possunt illa Senecæ verba de C. Cæsare, quem, inquit, natura videtur edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summâ fortunâ possent. Postquam enim superbissima illa opera templi ac palatij ad miraculum vsque excitasset, & in summâ rerum omnium affluentiam viueret; tandem otio deliciisque eneruatus, eò turpitudinis prolapsus est, vt non contentus septingentis primariis ac trecentis secundariis vxoribus, innumeras præterea adolescentulas (quas pellices & scorta nominat D. Hieronymus) explendæ libidini suæ surrogarit. Ac demum totus effeminatus, atque à mulieribus in transuersum actus, in omnium vitiorum cæno volutatus est; vsque adeò, vt plusquam belluinâ ingratitude vero Deo, qui tam beneficum se ac liberalem exhibuerat, contempto, vxorum idolis sacrificauerit, & fortasse dæmonibus etiam per magiam sese obligarit. Heu miser! *Dedisti maculam in gloriam tuam.* Et quis scit, an facti pœnitens à Deo misericordiam sis consecutus? Sed quoniam libet optima sperare, aliorum potiùs exempla, quorum funestus fuit exitus, ad explicandam deliciarum vanitatem, & peruersa stultorum gaudia, in medium producam.

Prodeat igitur in primis Cleopatra Ægypti Regina, quæ non tam iure iudicioque, quàm conuiuiorum luxu decertatura ad Antonium venit deliciis luxuque diffluens. Sic autem iter suum instituit. Sedebat in mediâ triremi sub aureâ umbellâ, Deam aliquam representans. Stipabant vndique lectissimæ virgines Nympharum ornatu, quæ aureis thuribus Cydni ripas omni odoramentorum genere perfundebant. Quid multa? Conuiuiorum sumptu prouocans Antonium, inter cetera fercula planè opipara planeque Regia, vnio-

vnionem, quem aure dextrâ gestabat, singulare naturæ opus, ducentis quinquaginta millibus Philippæorum æstimatum, acri aceto liquefactum absorbuit. Sed cum alia fercula huius conuiuij non exprimantur, nos è luxu Romano cetera suppleamus.

Inuentus est aliquando Romæ Cato Censorius, qui post bellum Punicum secundum, conspecto æui sui luxu, publicè questus est, non posse saluam esse urbem, in quâ piscis vnus pluris quàm bos vaniret. nullus is fuit, quem nos barbum aut regulum marinum vocamus. Sed profectò nihil vidisti Cato. Pluris apud posteros tuos fuit nullus vnus, quàm decem boues, ducētis scilicet & quinquaginta Philippicis æstimatus.

Sed parua sunt hæc præ Clodij Æsopi tragici histriionis patinâ, quindecim millibus Philippicorum taxatâ, in quâ posuit aues cantu aliquo aut humano sermone vocales, nullâ aliâ inductus voluptate, nisi vt in his imitationem hominis abliguriret. Sed omnium portentosissima fuit ingens illa Vitellij patina viginti quinque millium Philippicorum impensis condita. In hac autem scarorum iecinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes à Carpathio vsque, fretoque Hispaniæ per nauarchos ac triremes petita commiscuit.

Quid nunc reliquam deliciarum pompam explicem? Malo eam è Panegyrico Theodosio recitato discatis. Delicati illi parum se lautos, inquit, putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innataissent, nisi æstiuâ in gemmis capacibus glacie fælerna fregissent. Horum gulæ angustus erat orbis noster: appositas enim dapes non sapore sed sumptu æstimantes, illis demum acquiescebant, quas extre-

Luxus Romanorum.
Lipius de Magnitud. Rom. li. 4. cap. 7.

Plinius libro 35. cap. 12.

Suetonius Vitellio cap. 13. Plin. li. 35. cap. 12.

Latinus Pacatus in Paneg.

mus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent. An plura desideratis? Adiciam in supplementum Nomentanum & Apicium, altissimos nepotum omnium gurgites, cum fastidio in mensis suis omnium gentium animalia recognoscentes. Vide hos eosdem, inquit Seneca, è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum laessitur eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo Luxuria parentatur.

Seneca de
Beatâ vitâ,
c. 11.

Voluptas
fallax.

Quid tandem videtur? an non hic apex est humanae felicitatis? Dicat is, qui non inani cogitationis gustu imbutus, de deliciis ac voluptatibus philosophatus est, sed iisdem penitus immersus, nil nisi exploratum ac reipsâ compertum scripto consignavit. *Risum*, inquit, *reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Et meritò quidem ita pronuntiauit, nec ob vnam causam. Primùm enim, quantus error est, ab iis rebus sperare felicitatem, quæ non tantùm ita inanes sunt, vt famelicum semper destituant beatitatis appetitum; sed etiam ita perniciosæ, vt funesto tandem exitu lacrymas sint daturæ.

Delicia
inanes &
fallaces.
Isaie 65.
12.

Inanitem deliciarum, & frustratoriam illusionem, diuina illa apud Prophetam Oracula disertè loquuntur. Quia, inquit, *quæ nolui elegistis. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis.* Et quid mirum? cum ea sibi pabula delegerint, quæ nullâ ex parte infinitæ desiderij nostri capacitati respondent. Itaque videas hos tales inter epulas ac vina pallentes, & inter Musicum concentum futuro exitio suo præago præ-

præficoque gemitu præludentes. Quam enim tandem plerique illorum, quorum antè meminimus, vitæ suæ dedere catastrophæ? Miseram profectò & miserabilem. Quid, obsecrò, voluptates ac libidines Antonio & Cleopatrarum profuerunt, qui rebus desperatis, fortunisque omnibus euersi, violentas sibi manus intulerunt? Nec melior fortuna Vitellium excepit: qui etiam laqueo per Viam sacram raptatus, cœnoque ac stercore conspurcatus, minutissimis tandem ictibus apud Gemonias excarnificatus est. Apicius denique scientiam popinæ professus, cum duos milliones auri cum dimidio comestationibus abligurisset, tandem ære alieno pressus, rationes inspicere coactus est, inuenitque superfuturum sibi centies sestertiū: & velut in ultimâ fame victurus, si centies sestertio, id est ducentis quinquaginta millibus Philippicorum vixisset, vitam veneno finiuit. O miserum, cui ducenta quinquaginta millia Philippicorum extrema fuit paupertas!

Altera ratio cur errorem nominarit Ecclesiastes profanum illud gaudium, quod ex usu deliciarum existit, hæc est, quòd deliciae corporis animæque vires prorsus eneruent, ac virtutibus pessumdatis, rectæ rationis lumen extinguant. Fieri enim nullâ ratione potest, ut vbi crapula dominatur, ibi sobriæ cogitationi sit locus. Etenim si Tullio credimus, imò & Augustino, ut maximus est quisque voluptatis motus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magnâ voluptas corporis non potest. Delectatio enim sensum, ait Ambrosius, sensus mentem captiuam trahit. Serpit itaque contagione quadam hoc venenum: nec minori probro, quam exitio, ad imas usque corporis animæque fibras sese insinuat. Quemad-

Sueton. in
Vitellio
c. 17.

Seneca
Consolat.
ad Heluiam,
c. 10.

Voluptas
perniciosa.

Augustinus
li. 4. contra
Julianum
Pelag. c. 14.

Ambrosius
lib. de Pa-
radiso.

Eusebius
Emissenus
Homiliã
de Epipha-
niã.

modum enim, inquit Eusebius Emissenus, quando hu-
more & scabie cutis corporis vitiatur, ex vitio cutis
corruptio carnem exulcerat, ab exulceratione verò car-
nis prurigo titillat; ita per oblectationem malorum
de negligentia proficit culpa, & de luxuria crescit ille-
cebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia volu-
ptas transacta non fatiat, sed suo vsu magis exercetur
vitiorem cupiditas, quam finitur; & sectatorem suum,
numquam consumenda, consumit.

Delicia li-
bidinem pa-
riunt.

Sed cum omne vitiorum genus in animo velut in
agro deliciis stercoreato, vinoque immodicè irrigato,
instar densæ cuiusdam segetis aut silvæ luxuriet, nihil
tamen vberius crescit, magisque virtutes suffocat, quam

Hierony.
lib. 2. in
Iouinian.

libido: siquidem, teste Hieronymo, esus carniùm, &

Clemens
lib. 2. Pæ-
dag. c. 2.

potus vini, ventrisque saturitas seminarium est libidi-
nis. Addit Clemens Alexandrinus, ut in re rusticã ma-
neamus, vino efferuescente, mustum iuuentutis transi-

Hieron. ad
Furiam.

lire fines pudoris. Non *Ætne* ignes, inquit idem Hiero-
nymus, non *Vulcania* tellus, non *Veseus* aut *Olympus*

Orig. in
Genes.

Hom. 5.

tantis ardoribus æstuant, ut iuueniles medullæ vino ple-
næ, ac dapibus inflammatae. Quid iuueniles dico me-
dullas? nonne hac arte filia Lot parentis iam ætate gra-
uis nefarios amplexus furata sunt? Audite, ait Orige-
nes, quid perpetret ebrietas: audite, quantum facino-
ris designet temulentia. Ebrietas decipit, quem *Sodo-*
ma non deceperat: vitur ille flammis mulierum, quem
sulphurea flamma non vsserat. Et hanc tantam pestem
delicias arbitrantur? hanc risum vocant & gaudium?
Melius profectò philosophatus est *Ecclesiastes*, post-
quam hanc capitalem generis humani pestem magno
suo malo expertus est. *Risum*, inquit, *reputavi errorem, &*
gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

Sed

Sed restat tertia ratio, quæ profanum omne gaudium ^{Voluptas à conditione vite nostræ discrepat.} condemnet erroris, quod nimirum in exilio hic degimus, non in patriâ; in valle lacrymarum, non in amœnissimo monte cælestis Sionis. Quod dum plerique mortalium minùs considerant, & obuiis mundi deliciis se passim ingurgitant, ac profanâ voluptatè dissolunt, veræ beatitatis semper expertes, & à cælestis patriæ domicilio extorres, in varios errores, Vlystæis non absimiles, abripiuntur. Aut enim fallacis mundi suadelâ deliniti, ad Sirenum scopulos adhærescunt, aut momentaneâ dulcedine inescati, in Lotophagorum deserto littore computrescunt; aut Circeæ voluptatis poculo fascinati, brutorum stabulis mancipantur. O quantò sapientiùs illi, qui præsentis conditionis & calamitatis suæ conscij, cum exulibus Israëlitis illud Davidicum vsurpant: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion.* ^{Psal. 136, 1.} Et quamuis ad lætitiâ subinde excitentur, illud cum gemitu reponunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* ^{tandem abest, ut profanis voluptatibus gaudiisque dissoluantur. Quæ cum ita sint, nec quidquam habeant terrenæ voluptates, quo famem desiderij nostri expleant, cum sint vanissimæ; sed potiùs velut Circeum quoddam poculum, aut porcorum siliquæ, animos nostros obbrutescere faciant; cum denique tristissimum hoc exilium nos patriæ cælestis admoneat: illud mihi consultissimum videtur, ut quisquis huius vitæ deliciis se incautus ingurgitat, dum se patriâ extorrem, & velut famelicum ad porcorum siliquas reductum considerat, cum Prodigio Euangelico tandem saniora meditetur, & dicat: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! Surgam, & ibo ad patriam.* ^{Lucæ 15, 17.}}

trem

*rem meum, & vitæ prioris errore damnato, repudiatis-
que voluptatum illecebris, ad sanctioris vitæ consilia,
veræque sapientiæ studia me conuertam. Præstitit hoc
Ecclesiastes, dum subiunxit:*

SECTIO SECVNDA.
ECCLESIASTES.

VERS. 3. Cogitavi in corde meo abstrahere à vi-
no carnem meam, vt animum meum trans-
ferrem ad sapientiam, deuitaremque stulti-
tiam, donec viderem, quid esset vtile filiis ho-
minum: quo facto opus est sub Sole numero
dierum vitæ suæ.

METRICA PARAPHRASIS.

O QUAM faciles ille bimater
Delenifico melle Thyoneus
Stolidis fucos oblitit! O quot
Fronte serenâ nubila condit!
Dum letitiæ vult esse parens,
Heu quot lacrymas, quot bella parit!
Aspice Lapithis mota bimembri
Prelia turbâ. Nec Bistonibus
Mitior Euan, cum letitiæ
Furiosa scyphos vertit in arma.
Quid nunc miserum Penthea memorem,
Cui Bassarides thyasos inter
Festosque iocos viscera thyrsis
Laniasse ferunt? frustra Bacchus
Cos ingenij, frustra Suada

Filius

Filius audit, potiùs mentis
 Vile sepulchrum, fœdaque dicas
 Balnea lingua. Quid titubantes
 Menadum adinstar memorem gressus?
 Quid secreti prodiga corda,
 Luminaque vado natitare mero?
 Quid deliri somnia capitis,
 Dum mendicus diadema crepat,
 Dum strata solo sidera cernit,
 Miraque vacuum per inane geri?
 Singula versu claudere longum est.
 Vbi Lenæi splendent latices,
 Nubila mens est. Hominem ex homine
 Tollit Iacchus. Tanta Lyæi
 Damna videnti decretum animo
 Fixumque stetit Bromij castris
 Efferre pedem, signaque Sophiæ
 Neglecta sequi, stultaque stolidis,
 Et bacchanal linguere Bacchis,
 Donec radius lucis obortus
 Tutum vitæ signaret iter,
 Ac monstraret quid sit rebus
 Vitæ nostris, dum mortales
 Labilis horæ rota præcipitat.
 Nam quis dubio tramite vitæ
 Iusti ac recti rimatur iter?
 Turba exemplo, non iudicio,
 Vitam instituit. Non quò ratio,
 Cynosura ratis, sed quò vulgi
 Abripit æstus, vela reguntur.
 O quæ fragili puppe Leandro
 Freta sulcanti, tollat amicos

K

Sestias

*Sestas ignes! Quis labyrinthos
 Inter & undas mihi Dadaleas
 Humeris pennas aptet! Et ô quis
 Ariadneo perplexa notet
 Compita filo! vel quis potius
 Favor aethereus, qui Niliacis
 Quondam Isacidas profugos regnis
 Rutile duxit lampade nubis,
 Simili cursum splendore regat!
 Si resqua facem deserta petunt,
 Heu quò tendet per tot vitæ
 Salebras nullo mens cæca duce?*

PROSA EXEGESIS.

Si quis deliciarum ac ebrietatis incommoda secum accuratè perpenderit, nihil mirabitur, Ecclesiasten, virtutis ac sapientiæ cupidum, hæc turpitudinis castra deseruisse. Viderat enim, in regno voluptatis nullum esse virtuti locum; contra verò, ebrietatem indomitis cupiditatibus vitiisquæ omnibus fræna relaxare. Semel enim pessumdatâ, quæ inordinatis cupiditatibus obstabat, verecundiâ, in lucem, quidquid mali latebat, emergit. Itaque libidosus, inquit Seneca, ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis, quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido. Adhuc illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut turbine aliquo circum-agentem totam domum: stomachi tormenta, dum effertur

*Ebrietas
 omnia vi-
 tia prodit.*

*Seneca
 Epist. 83.*

uefcit merum, ac viscera ipsa distendit. Omitto cetera, quæ recensere longum esset.

Vnum persequor quod ad rem præsentem facit, nihil tam inimicum esse sapientiæ studio, quàm ebrietatem. Quid enim sapientiæ tam contrarium est, quàm dementia? Quis autem ignorat, nihil aliud esse ebrietatem, quàm dementiam voluntariam; nec aliter à phrenesi, quàm temporis breuitate, distingui? Certè vt quàm mitissimè cum Plutarcho sentiamus, infaniam contubernalis est ebrietas. Vbi enim regnat ebrietas, ait Petrus Rauennas, exulat ratio, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur, atque adeò, vigore mentis oppresso, totus homo alieni iuris efficitur. Quare repudiandum est illud, quod apud Macro- bium legimus, velut solis Saturnalibus dignum, Fomi- tem quemdam atque ignitabulum ingenij virtutisque esse, si mens & corpus hominis vino flagret.

Non ignoro, ex iis, qui studia vtcumque coluerunt, non paucos immodico vino deditos fuisse: nam, vt supra dixi, disputatur inter Philologos, ebriosior Ana- creon an libidiniosior fuerit. Et

*Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
Proflijt dicenda.* —

& Cratinus cùm ebrius Comœdias scriberet, vinum Poëtis vice generosi equi dicebat esse. Denique ipse Philosophiæ parens Socrates, si quando ad bibendum in conuiujs adigeretur, omnes exhauriendis calicibus vincebat. Scio etiam, inter Stoicorum paradoxa illud numerari, sapientem numquam esse ebrium, quantumcumque se vino ingurgitet. Sed non obscure profi- teor, nihil mihi negotij esse cum istiusmodi insanien- tis sapientiæ consultis, quos non vnum vitæ probrum

K 2 apud

*Ebrietas
inimica sa-
pientiæ.*

*Plutarchus
lib. de Gar-
rulis.*

*Petrus Ra-
uennas in
Scrm.*

*Macrobius
lib. 2. Sa-
turnal. c. 8*

*Poëta non-
nulli &
Philosophi
vino dediti.*

*Horatius
l. 1. Epist.
ad Meca-
natem.*

*Lipsius
Mann-
duct. lib. 3.
cap. 18.*

apud posteros notavit. De veræ sapientiæ studio (quam nunc Philosophiam Christianam nominamus) omnis mihi dissertatio est.

Ad hanc postliminio adspirans Ecclesiastes, *Cogitavi, inquit, abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam.* sapienter non vni tantum sibi, sed omnibus præcipiens, iis qui solidæ virtutis veræque sapientiæ studio accenduntur, non tantum vinum atque ebrietatem, sed quidquid ad delicias ac voluptates pertinet, penitus esse repudiandum. Itaque de recessu inprimis cogitans, ait Seneca, non Canopum eliget sapiens (quamuis neminem Canopus vetet esse frugi) sed ne Baias quidem, quia diuersorium vitiorum esse cœperunt. Non corpori tantum, sed moribus etiam salubrem locum eligere debemus. Quid, quod Plato, ut moribus salubrem eligeret, corporibus elegit insalubrem, dum in horrido atque obscuro Academi luco Academiam instituit, ut locus ipse non minimam Philosophiæ partem, mortis dico meditationem, ante oculos constitueret? Nec dubium est, quin idem propositum fuerit D. Bernardo, dum pleraque cœnobiorum suorum in locis palustribus fundauit. Idem etiam B. Brunoni, qui ad iacienda cælestis huius Philosophiæ fundamenta, horridam & incultam Carthusiæ solitudinem Gratianopolitano Episcopo diuinitus ostensam delegit. Quid enim necesse est Baiis, exempli gratiâ, ebrios videre per littora discursantes, & comestiones nauigantium, & symphoniarum cantibus perstreptentes lacus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria non tantum peccat, sed publicat? Id agere debemus, ut irritamenta voluptatum quam longissimè fugiamus. Vna Hannibalem hiberna soluerunt:

Sapientia
fomenta
voluptatium
vitanda.

Seneca E-
pist. 51.

Laërtius in
Platone.

Surius in
Vitâ Bru-
nonis.

Seneca
ibidem.

runt: & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.

Nobis quoque militandum est; & quidem genere militiæ, quo numquam quies aut otium datur. Debellandæ sunt voluptates, quæ in sæua quoque ingenia tyrannidem exercuerunt. Si quis sibi proposuerit, quàm dura sit virtutis palæstra, sciet nihil delicatè, nihil molli-ter faciendum. Quorsum enim militi fomenta voluptatum? Corpus alluetum tunicæ, loriciæ onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperabit capulus: nimia amœnitas animos effeminat; fortior miles ex confragoso venit. Hoc sibi propositum habuit nobile illud Christianæ Philosophiæ exemplar Hieronymus, qui veræ sapientiæ cupidus, in vastam solitudinem secessit, omnesque à se voluptatum illecebras abdicauit: ac ne sic quidem satis vitiorum pericula declinauit. Non me pigebit eius verba, tametsi proluxiora, subnectere. O quoties, inquit, in eremo constitutus, & in illâ vastâ eremi solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præbet habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obdlexerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix hærentia membra collidebam. Ille igitur ego scorpionum tantum socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriiis æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortuâ, sola libidinum

Miles Christianus voluptatem fugiat.

Hieron. ad Heliodorum.

Idem ad Eustochiû, de Virginitate.

incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad IESV iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte; nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino imperante, tranquillitas. Si tantam passus est luctam horridus ille solitudinis incola, qui omnia vitiorum fomenta procul habebat; nōne meritò Ecclesiastes animum à vino ceterisque deliciis existimavit abducendum, vt sapientiæ studio vacare posset?

Neque otiosè subiungit (vt illud etiam ad extremum breuiter attingam) *donec viderem quid utile esset filiis hominum, quo facto opus est sub Sole numero dierum vitæ suæ.*

*Ebrietas
inidonea
consilio capi-
endo.*

Quibus verbis non obscurè declarat, seriam de ratione vitæ ineundâ consultationem animum requirere ab omni temulentia quàm alienissimum.

*Maximus
Tyrius Dis-
sert. 12.*

Scio quidem apud Persas in more positum fuisse, inter pocula de rebus maximi momenti consultare: sed fuerit hoc illis ignoscendum, apud quos seuerissimis legibus in ebrietatem animaduertebatur, ac proinde satis cautum erat, ne quis à ratione exorbitaret. Sanè ad consilia de rebus magni momenti capienda ineptam esse temulentiam, prudenter ostendit olim Latychides; qui interrogatus, cur Spartiata tam parcè vino vterentur; respondit: Ne pro nobis alij consultent, sed nos potiùs pro aliis. Si inidonea est ebrietas ad consilia de Republicâ capienda; quis ei de vitæ instituendæ rationibus arbitria permittet, à quibus æternæ beatitatis summa dependet? Enimuerò cum omnes in hoc turbulento rerum humanarum freto portum aliquem salutis respiciant; ineptus sanè gubernator esset, qui
vino

*Plutarchus
in Apophtheg.*

vino crebrius quàm fluctibus obrutus (vt alibi Sapiens Prouer. 23. noster) in hoc tanto discrimine ad clauum federet. Opportunè hoc animaduertit Clemens Alexandrinus, qui Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. vini temulentiam Oceani furiis comparauit. Corpus enim instar nauis demersum, ac decumanis vini fluctibus obrutum, turpitudinis ac dedecoris profundum subit. Gubernator autem, mens videlicet humana, dum turgido ebrietatis fluctu circumagitur, tamdiu in cæcis illis nubibus ac procellis caligat, & à portu veritatis aberrat, donec in saxa voluptatis subitus latentia impingens, salutis ac famæ naufragio fatiscat.

Et nos igitur his animaduersis, Ecclesiasten intueamur à vino iam abhorrentem, variaque vitæ generaturâ consultatione expendentem; omnibusque vanitatis aut stultitiæ damnatis, extremo tandem libro concludentem, nihil homini in hac vitâ mortali esse conducibile, nisi vt Deum timeat, & mandata eius obseruet. Agedum igitur vestigiis eius, à Regiâ fortunâ & magnificentiâ exordium sumentis, insistamus.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

- VERS. 4. Magnificauit opera mea, ædificauit mihi domos, & plantaui vineas,
 5. feci hortos, & pomaria, & conserui ea cuncti generis arboribus,
 6. & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem filuam lignorum germinantium,
 7. possedi seruos & ancillas, multamque familiam

- liam habui : armenta quoque , & magnos ouium greges vltra omnes , qui fuerunt ante me in Ierusalem :
8. coaceruauī mihi argentum , & aurum , & substantias Regum , ac prouinciarum : feci mihi cantores , & cantatrices , & delicias filiorum hominum , scyphos , & vrceos in ministerio ad vina fundenda :
9. & supergressus sum opibus omnes , qui ante me fuerunt in Ierusalem : sapientia quoque perfeuerauit mecum .
10. Et omnia , quæ desiderauerunt oculi mei , non negaui eis : nec prohibui cor meum , quin omni voluptate frueretur , & oblectaret se in his , quæ præparaueram : & hanc ratus sum partem meam , si vterer labore meo .
11. Cumque me conuertissem ad vniuersa opera , quæ fecerant manus meæ , & ad labores , in quibus frustra sudaueram , vidi in omnibus vanitatem , & afflictionem animi , & nihil permanere sub Sole .

METRICA PARAPHRASIS.

PERPLEXA quisquis compita, & vitæ vias
 In varia sebtas studia vestigat, neque
 Sat constat animo, quo gradus filo regat,
 Quo Marte vitam aut arte mortalem excolat;
 Non ille temerè sortis arbitrio genus

Vita

Vita prebendat; sed neque inuitas colat
 Procus Camœnas: sed via aut vitæ orbitam
 Diuiniore mentis afflatu legat.
 Expendat animo semina infusa indoli,
 Viresque libret; quamque personam dedit
 Orchestra vitæ; hanc congruo mimo explicet.
 Quicumque rebus, stemmati, atati, indoli
 Curas adaptat, ille se scenæ probat.
 Sic ego superbi culmen imperij tenens,
 Et Rege digna mente complexus, Deo
 Ædem sacraui marmore e Pario, inchtum
 Decus Sionis, cui nec equiparet suos
 Isis colossos, nec Semiramidis opus
 Superba Babylon. Regios struxi cedro
 Libanitide lares, vmbra quos tepido sinu
 Complexa saltus, vincit Alcinoi domum.
 Vineta duxi breuibus Engaddi iugis,
 Vlmis maritans vitium flexus vagos,
 Topiariis que pergulis vmbra explicans.
 Nec cultus hortus Veris amplectens opes
 Amœnitati defuit. Cruor hic rosam
 Pingit Diones: hic & Oebalius puer
 Disco peremptus: hic inardescens suis
 Narcissus undis: hic furens Ajax gemit:
 Hic mille ficta nomina Heroum emicant.
 Quid ampla memorem Persico pomaria
 Visenda cultu? Frondium his confert decus,
 Si qua aut comanti vertice, aut fructu abdito
 Superbit arbor. Balsami hic sudat liquor,
 Libanitidesque fronde luxuriant cedri:
 Fatidica sebtas laurus intexit vias:
 Patula cupressi spatia coniferæ ambiunt:

L

Spo-

Spoliumque Idumes omne conuestit nemus.
 Hic subdialis imminet siluis lacus,
 Vitreasque Venas fundit, & liquidas agris
 Dispensat vndas: didita vt ripis latex
 Arbusta lambens, nutriat vernum decus.
 Nec rure culto, nec suburbanis minor
 Palatiorum augusta Maiestas fuit.
 Hic limen ipsum, & Regie auratas fores
 Frequens satelles obsidet: pars aureis
 Armata peltis Regium stipant latus;
 Pars etiam ahenâ luce conspicua vias
 Anteambulones occupant; maior subit
 Agmenque claudit fida Nobilium manus.
 Adde atrienses, adde pincernas, coquos,
 Comptosque vernas, & puellarum greges
 Exhaustiendis mille mandatis pares,
 Quot comminisci mille consortes thori,
 Formæ atque fastus æmula inuicem, queunt.
 Diurna cunctis lauta, ter deni boues,
 Centum bidentes, quodque venantum labor
 Mensæ ministrat. Rusticas queritis opes?
 Campos oberrant mille lanigeri greges,
 Tenerumque carpunt in myricetis thymum.
 Armenta totidem pinguibus micant toris
 Et leta tondent pascua. His simile nihil
 Videre Solymæ. Euulsa quid terræ fibris
 Auri metalla, aut pondus argenti eloquar,
 Vectum per altos Thetidos undantis sinus,
 Alio calentem Sole dum Peruen rates
 Prorisque sulcant fulua Tartessi vada?
 Tributa Idumes adice, & Mareotidos
 Quæ rector ora pronus obsequio tulit:

Adice Sabaos, Cyprios, Arabes, Scythas,
 Et Regio apice digna quæ Tyrus dedit,
 Opibus voluptas suppare iunxit gradus.
 Huic condienda dapibus admixtum melos,
 Et musicorum lata quæ fidibus cohors
 Curas leuaret, & Syri, & Lydi, & Phryges,
 Mixtusque Phariâ merce delictum aurium
 Venalis infans: Virgines formâ illice,
 Pellax venenum: siue Cecropiæ alitis
 Lenocinanti voce quæ vincant modos,
 Seu quæ canora barbiti loquacibus
 Digtis pererrent æra. Quid memorem scyphos
 Gemmis rigentes, vrceos auro graues?
 Hominum suauè nectâr his fundit labris
 Laticem Lyeum compta puerorum phalanx.
 Quid plura? gazis & superbifico potens
 Vici paratu, quotquot imperio inclyti
 Solymæa tumidâ sceptrâ gestarunt manus.
 Hæc cuncta gressu lubrico accessi miser:
 Nec cessitanti Sophia subtraxit facem,
 Laterique adhesit. Interim effusas dedi
 Oculis habenas. Quidquid aut ad spectui
 Specie adlubescit, aut mouet cordi sitim,
 Quidquid libido suadet, id votis dedi.
 Nec in arcta letam spatia contraxi indolem:
 Animum iocis, ac tabidas curas Notis,
 Veneri ac Lyæo floridos vitæ dies
 Lubens dicaui: culmen hoc summum ratus
 Beatitatis, aura dum sortis fauet,
 Partis fruiscei. Hoc præmium curis datum,
 Hæc meta vitæ, hæc summa votorum fuit.
 Heu cassa rebus somnia! heu fumum! heu nihil,

Quod fascinos luminibus amabili
 Errore lactat! Quid fibras terræ improbo
 Labore scrutor, luridâ vt nocte abditam
 Segetem malorum publicam in lucem eruam?
 Per quot pericla grandius periculum
 Sectamur! Aut quid luxui tantus labor
 Desudat? O quàm tabidam morum luem
 Gremio fouemus! Regium fastum aduice,
 Et quam superba scepra mentiri solent
 Beatitatem. Eheu quid hîc solidi vides?
 Inane magnum nomen alienum occupat.
 Felix, recurua valle qui potuit sitim
 Saliente venâ sistere: excelfo è throno
 Gemmâ propinant toxicum. Felix, cui
 Viridi soporem cespite inuitat torus
 Aut ripa frondens: ostro in Oebalio torum
 Sibi cura sternit. Tutius repunt solo
 Humiles myrice, quàm comis superbiat
 Intonsa cedrus. Marmoris molem strue
 Inuisa calo culmina; in cinerem ruet
 Cuncta hæc vetustas. Nempe marmoribus edax
 Sua fata tempus dixit: & quidquid diem
 Adspexit, etiam noctis adspiciet vices.
 Hoc nempe fato constat æterni Patris,
 Hoc lege celi, vt constet in terris nihil.

PROSA EXEGESIS.

Regia for-
 tuna vani-
 titas.

NON potuit Ecclesiastes magis ad institutum suum
 appositè pertexendam vanitatis telam ordiri,
 quàm à suo ipsius vitæ instituto, Regiâ scilicet maie-
 state, in quâ nec pauca & illustria insunt vanitatis ar-
 gumenta. Nam quò maiora atque ampliora sunt in
 spe-

speciem, quæ vulgus hominum plerumque suspicit; eò maiora præbent atque ampliora documenta vanitatis. Ac inprimis ipsa maiestas Salomonis tanta fuit, quantam esse decuit eam, quam sacræ Litteræ passim velut symbolum diuinæ Maiestatis vsurpant. Itaque non tantum ex aureo illo eburneoque folio (cui nihil simile fuit in terris, aut secundum) ius vitæ necisque in subditos nullo repugnante exercuit; sed etiam longè lateque dominatus, tributa finitimis Regibus non inuitis imperavit. Maiestatem non mediocriter auxit familiæ splendor, in quâ Regiis obsequiis addicta numerata sunt quadraginta octo millia capitum: vt nihil mirum videri debeat, quod alioqui fidem excedit, cibum Salomonis fuisse in dies singulos triginta coros similæ, & sexaginta coros farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprarum, atque bubalorum, auiumque altilium.

Hic igitur talis tantusque, nihil vile, neque abiectum, aut Regiâ fortunâ indignum animo designans, publicis priuatisque ædificiis nomen suum immortalitati consecrauit. Quis enim ignorat templum illud omnium Gentium testimonio celeberrimum, cui excitando per tot annos quadringenta & vnum millia hominum, & nongenti, operam impenderunt? cuius vnus aliquis murus propemodum ad Italici miliaris longitudinem protendebatur, latitudo alibi ducentos pedes superabat: cuius lapides è candido marmore nonnunquam tantæ magnitudinis erant, vt excauati, pro ædibus mediocri familiæ sufficere possent; erant enim quinquaginta pedum longitudinis, viginti quinque latitudinis, sedecim altitudinis. Omitto Regiam

non vnâ, saxo decemcubitali, pro dignitate fortunarum Regis ac gentis, ædificatam, marmore incrustatam, cedro vestitam, auro insignitam.

*Athenæus
lib. 12.*

Et quoniam omni genere magnificentiæ potentissimos omnium sæculorum Monarchas superauit, fingite hęc pretiosa ornamenta, siue platanum illam auream, quam Pythius Bythinus Dario Persarum Regi donauit, siue vitem illam nobilissimam, opus Amynthæ, cuius vux ex pretiosissimis gemmis erant coagmentatæ; siue aliud quid maius ex vicinorum Regum donariis conflatum.

*Horii Sa-
lomonis.*

Huc accedat hortorum amœnitas, quibus excolendis non minorem Salomon impendit operam, quàm aut Semiramis hortis suis pensilibus, aut Cyrus nobilissimis illis quondam plantariis. In iis autem tam concinnè omnia in pergulas opere topiario vestitas, in areolas puluillofque disposita, vt pauimentum aliquod viuus coloribus tessellatum, & pulcherrimum artis cum naturâ certamen exhibere viderentur. Hęc spectare fuit flores exotico cultu & colore nobiles: hęc peregrini orbis germina: hęc arbores sub alio Sole & climate educatas. Cùm enim classibus suis vniuersum lustraret orbem, & eximiam haberet, Scripturâ teste, plantarum omnium cognitionem, quidquid natura habet illustre, his hortis complexus fuisse creditur.

Nec stetit in hac amœnitate nauseabundus animus: vilis erat formosissima illa naturæ maiestas, nisi etiam in subsidium ornamenti fabulæ adsciscerentur, & hinc populeis truncis, vario colore illufis, Heliades ramosa brachia protenderent, inde formosæ Daphnidis coma in frondes sese diffunderet, aliaque generis eiusdem amœnitatem in luxum verterent.

Sed

Sed nimius sum pro ratione instituti: ex residuis Pecora Sa-
lomonis. pauca perstringam. *Armenta, inquit, & magnos ouium greges habui ultra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem.* Numerum non inibo; vos eum ex quotidiano familia dimenso (cuius antè memini) coniecturâ assequi potestis. Addo tamen equorum quinquaginta septem millia & sexcentos: totidem enim Scriptura commemorat.

Ac ne diuitias quidem eius ad calculos vocabo, Diuitia Sa-
lomonis ex
compara-
tione. non ignarus, nullam apud huius æui locupletes me fidem inuenturum: minores tantum aliquot Regum thesauros attingam, ex quibus maiores Salomonis diuitias æstimare possitis. Cyrus, deuictâ Asiâ, auri pondus triginta quatuor millia, argenti quingenta millia talentorum, id est, quingentos nonaginta quatuor miliones, præter vasa aurea & argentea infiniti pretij, reportauit. Alexander, superato Dario, ducentos tredecim miliones retulit, & octingenta quadraginta millia ducatorum: & ex vnâ Asiâ vectigali quotannis sexcentos septuaginta septem miliones, & centum sexaginta millia ducatorum. Sardanapalus cum sexdecim millibus sepringentis quinquaginta millionibus coronatorum in rogam se coniecit. His calculis tam stupendis maiores non opponam calculos, sed has tantum Dei voces: *Diuitias & substantiam dabo tibi, ita ut nullus in Regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui.* 2. Paral. 1,
12. cetera Lectoris cogitationibus relinquam.

Infinitus iam sum, si luxum conuiuiorum, ceteram- Cominiorii
Salomonis
luxus. que voluptatis pompam explicem. Omne genus venationis & aucupij Salomonis mensas exaggerasse, paulò antè diximus: nec minor in potu luxus fuit. Questus est aliquando Seneca de iis quibus gemmâ Seneca de
Providen-
tiâ c. 3. mini-

ministratur: quibus exoletus suspensam auro niuem diluit. & Plinius, Turbâ, inquit, gemmarum potamus, & smaragdus teximus calices, ac temulentia causâ tenere Indiam iuuat, aurumque iam accessio est. His paria, aut etiam maiora, tibi ante oculos constitue in

Ciccr. 4. in Verrem.

mensâ Salomonis, præsertim cum in Syriâ, teste Cicerone, mos ille fuerit Regibus, vt aurea pocula gemmis pretiosissimis distinguerent.

Musica Salomonis.

Quid ego nunc psaltrias ac fidicines illice formâ virginis; quid calamistratos comptulosque symphoniacos commemorem? quorum plurimi ex Syriâ, Ægypto, & præsertim Alexandria, musicis artibus instructi, venales esse consueuerant: quos vt Ecclesiastes noster *delicias filiorum hominum* indiget, sic & Agellius fistulatores, tibicines, fidicines, lasciuientium vocat *delicias conuiuiorum*.

Agell. li. 1. cap. 11.

Sed frustra instar venatici canis Regiam Ecclesiastæ felicitatem suis vestigiis persequor, cum vnico, quod subiicit, verbo omnia vestigia sua confundat, omnemque conatum meum eludat. Quidquid, inquit, *desiderauerunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his que præparaueram*.

Salomonis felicitas vana.

An est aliquid vltra, quod ad cumulum tantæ beatitatis addi posse videatur? Profectò tam illustris est ac splendida, tam in speciem suaui hæc adumbrata felicitas, vt cordatissimo cuique fucum facere possit, nisi ille ipse, qui exploratam illam penitusque perspectam habuit, vanitatis eam condemnaret, *Vidi, inquit, in omnibus Vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole*. An non idem nobis videri necesse est, si discussâ opinionum caligine, in rem ipsam men-

tis

tis aciem intenderimus? Dic enim, obsecro, vbi nunc palatia illa non marmore tantum parietum & columnarum spectanda, sed etiam quæ calcabantur pretiosa? vbi laquearibus auro illis tecta ipsa fulgentia? iam insanæ illæ substructiones ne rudera quidem nobis reliqua fecerunt; nec amplius ex illâ ad miraculum stupendâ architecturâ curiosa ingenia colligunt, præter hoc vnum, Nihil esse opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat atque consumat vetustas.

Cic. pro
M. Mar-
cello.

Sed aliquando tandem receptui canamus, & iisdem, quibus antè, vestigiis Ecclesiastæ felicitatem retexamus. Nihil æquè in terris homines admirantur, quàm Regiam maiestatem, supremumque in omnes ius vitæ & necis: & tamen quò in pretio hanc maiestatem habebimus, quam aut in cineres redactam vilis vna concludat, aut in putrido cadauere sarcophagus arrodat? Quid autem eximium habet illud supremum ius alienæ vitæ ac necis, cum ne propriæ quidem vitæ necisque concedat a vitrium? Nónne de capite Iulij Cæsaris M. Brutus, cliens inprimis obnoxius, & Cimber quidam Tillius, homo ebriosus ac vilis, arbitria tulerunt? nónne de Crasso crudelis & insolens Parthus? Quid Caius Caligula? nónne postquam Lepidum iussit Decimo Tribuno præbere ceruicem, ipse Chæreæ præbuit? Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiserat. An verò nitentium agmen seruorum, & auro culta mancipia, longusque famulantium ordo, facit esse felicem? qui si vitiosi moribus sunt, aut instar locustarum sunt, aut perniciofa domus sarcina, & ipsi domino vehementer infesta: sin autem probi, quomodo ad alicuius gloriam aliena probitas pertinebit? Quid verò ampla palatia,

Regia for-
tuna vni-
tas.

M nisi

nisi curarum fraudiumque receptacula? Aut quid hor-
torum proderit amœnitas, si animus fuerit inferendus?
Nec plus ad beatitatem momenti adferunt ingentes il-
læ diuitiæ, quæ, vti omnem excludunt calculum, sic
omnem animi tranquillitatem. Quid enim aliud diui-
tiæ grauissimo Christi testimonio & maximo, quid,
inquam, aliud diuitiæ, quàm spinæ, quæ curis animum
lancinant, & cum ad peccatum pertraxerint, quasi in-
flicto vulnere cruentant? Denique, vt ad conuiuio-
rum luxum descendamus, quid profunt fercula patri-
moniorum impendiis aut Prouinciarum vectigalibus
condita? Profectò simul ac stomachum subierint, om-
nia eadem sceditas occupabit. Quid auro cælata pocu-
la, gemmisque inoculata, aut, si mauis, tota gemmea?
Sapienter illud à Poëtâ dictum est:

Luc. 8, 14.
Gregorius
Hom. 15.
in Euange-
lia.

Iuuenalis
Satyrâ 10.

Nulla aconita bibuntur

Ficilibus: tunc illa time, cum pocula sumes

Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Si hæc tanta, quæ tanto in pretio apud homines ha-
bentur, vanitatis damnamus; quo tandem loco habe-
bimus inanem illum Musicorum concentum, & voces
ad muliebrem inflexas mollitiem? Quid hæc solatij
adferre possunt iis, qui non rarò è mediis voluptatibus
ad æternum carcerem abripiuntur, *vbi erit fletus, &
stridor dentium?* An non igitur summâ ratione conclusit
Ecclesiastes: *In his omnibus vidi vanitatem, & afflictio-
nem animi?*

Matthæi 8,
12.

Fortuna
bona falla-
cia & per-
niciosa.

Seneca lib
de Beatâ vi-
tâ, c. 14.

Sed numquam id clariùs perspicitur, quàm cum
animis nostris luctuosam beatulorum illorum cata-
strophem (quæ nimisquam frequens est) cogitatione
representamus. Quemadmodum enim feras cum la-
bore periculoque venamur, & captarum quoque illa-
rum

rum sollicita possessio est (sæpè enim possessores suos
 discerpunt) ita magnas habentes voluptates ac vanita-
 tes, non rarè in magnum euaserunt malum. Certè pa-
 rum stabilis ac diuturna fuit Seruio Tullio sua felici-
 tas, qui ex infimâ sorte in summum honoris culmen
 euaserat. Inuenta est enim ambitionis ac moræ impa-
 tiens filia, quæ per trucidati parentis cadauer impias
 ageret quadrigas. Nec multum sanè præsidij est in co-
 piosâ familiâ, aut splendidâ amicorum manu. Fortu-
 næ est ista turba, non Principis. Documento nobis sit
 Nero: qui rebus desperatis, vt se supplicio subduceret,
 cum inter amicos percussorem quæreret, cunctisque
 fugâ dilapsis, neminem inuenisset cuius manu periret;
 Ergo ego, inquit, nec amicum habeo quemquam, nec
 inimicum? Prætermitto nunc illos, qui magnificis pa-
 latii superbientes, *vocauerunt nomina sua in terris suis:*
et sepulchra eorum domus illorum in æternum. Taceo il-
 los, qui sic hortorum amœnitati cor affixerunt, vt præ-
 terrâ cælum despexerint. Noui in Belgio extitisse vi-
 rum quemdam copiosum, qui cum hortos cultissimos
 in vrbe pomærio haberet, salute à Medicis depositâ,
 per hortum sellâ se gestatoriâ deferri curauit. Et, heu!
 crudele fatum, inquit, quod à tantâ me amœnitate di-
 uellit! O Deus! numquam à te cælum petij; cur mi-
 hi inuides hanc terram? Sed frustra voces ille blasphe-
 mas iactabat: neque terram impetrauit quam perditè
 cupiebat: an autem cælum, quod minimè cupiebat,
 obtinuerit, non iniuriâ quis dubitare potest. Si tantum
 mali ab innoxîâ, quam vocant, amœnitate; quid de
 diuitiis sentiendum, propter quas plerumque ferrum
 stringitur? Non referam hîc Polydori necem Poëtis
 decantatam: dicam potiùs, immensas Senecæ opes

Florus li-
bro 1. c. 7.

Sueton. in
Nerone
cap. 47.

Psal. 48.
12.

Virgil. 3.
Aeneid.

Lipſius in
Vitâ Se-
necæ.

Pineda de
Rebus Sa-
lomon. li-
bro 4. c. 19.

3. Reg. 13.

Judith 14.

Ephes. 5.
18.

Baronius ad
annū Chri-
ſti 571.

Athenæus
libro 12.

(ſeptuagies quiniens centena millia aureorum fuiſſe di-
cuntur) illecebram Neroni inſa. li parricidij fuiſſe.
Dicam, quadringentos aureorum milliones Midæ &
Cræſi (tantam enim prædam Cyrus diripuit) extre-
mi exitij poſſeſſoribus ſuis cauſam dediſſe. Nec minor
ab epulis pernicies, certè multò promptior expectan-
da eſt. Nam, præterquam quòd morborum cohortem
poſt ſe trahunt, nonnumquam etiam inter aurea gem-
meaque vaſa ſanguine & veneno luditur. Videte quæ-
ſo Amnonem iam temulentum Abſalonis iuſſu con-
foſſum, menſas ipſas ſuo ſanguine foedantem. Videte
truncum Holofernis ebrij cadauer in ſuo ſanguine vo-
lutatum, & caput illud è Bethulia muris ſuſpenſum,
omni Cicerone diſertiùs clamans: *Nolite inebriari vino,*
in quo eſt luxuria. Denique Roſimundam intuemini
Helmigi ſcelerum ſuorum participi venenum auro
propinantem, ipſamque ferro adactam, vt reſiduum
exſorberet, poſtquam è parentis cranio, quod Alboi-
nus maritus ad ludibrium auro incluſerat, ſe vini hau-
ſtu polluiſſet. Ad extremum, ne mollis effeminato-
rum voluptas à tam tragico luctu extremoque exitio
immunis eſſe videatur, vnicum intuemini Sardanapa-
lum, quem cum Arbaces, vnus è Præfectis, inter mu-
lieres laſciuientem, & habitu cultuque mulieri quàm
viro ſimiliorem conſpexiſſet, eò deſperationis adegit,
vt voluntariam ſibi necem conſciſceret. Et hæc eſt illa
fortuna Regia? hic apex felicitatis? hæc diuinitatis
æmulatio? hoc mortalium votum? Apage hæc vigi-
lantium ſomnia. Ad alia cum Eccleſiaſte tranſeamus,
ſicubi fortatte magis ſincerum gaudium, magisque de-
fecatum conſequamur.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?)

13. & vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

14. Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat:

METRICA PARAPHRASIS.

AH! pereat quicumque ausus certare Tonanti,
Esse aliquid Regum nomina magna putat;
Et qui sidereis minitanti culmina tectis
Molitus, superis amulâ facta parat.

Hic furor armauit bellacem rupe Typhæâ
(Nunc spirantem ignes Trinacris Ætna premit)

Hic furor Enceladum, iaculatoremq; Mimanta,
Quos belli socios fabula prisca facit.

Me quoque non dispar laudum furiata cupido
Vexit, & ignauam spernere iussit humum.

Pænè erat, Icaro fierem ut noua fabula ponto,
Deque meo ferrent nomine nomen aquæ.

Molibus excelsis Solymæ dum culmina vinco
Mempheos, & quod vir femina struxit opus.

Dum solum folio, diademate vinco tiaras,
Et sceptris supero scepra superba Ducum.

M 3

Dum

Dum mihi Pactoliq̄ue, Hermi q̄ue, Tagi q̄ue fluenta
 Prodiga diuitias deliciasq̄ue vomunt.
 Hæc mihi maiestas humano culmine maior,
 Visa fuit magnos posse decere deos.
 Quò feror ab demens? quò me vehit aura Fauoni?
 Quid mihi sors animos ab malesuada facis?
 Quid genus Iæpeti, fax terra, fictilis Urna est,
 Possit vt auctoris facta stupenda sequi?
 Dat fortuna animos? Deus hanc animosq̄ue coërcet.
 Ius habet in terras? Imperat ille polis.
 Maiestate valet? Nutu hic percellit Olympum.
 Sceptra vibrat? Sæuâ fulminat ille manu.
 Imperij fines extendit? Ridet ab alto
 Sæta breui in puncto Regna superba Deus.
 Cedite mortales: quid enim mera pulueris vrna est,
 Possit vt auctoris facta stupenda sequi?
 Sic ego vana gemens vigilantium somnia damno,
 Dum sophiæ cupidum deuia rura tenent.
 Vallis erat quâ populeis insibilat Euris
 Frondibus, ac tremulas ventilat aura comas:
 Hic me graminea compositum cespite ripæ
 Hospita frondosi texerat vmbra Laris.
 Hic pius ardor erat Sophiæ nouisse Penates,
 Errorisq̄ue vagas stultitiæq̄ue vias.
 Suspirans Sophiam, Sophiam in mea vota vocabam,
 (Fallebat vitrea tadia murmur aque)
 Donec lympharum sub murmure somnus amantem,
 Et variis Icelon lusst imaginibus.
 Tunc mihi visa fuit niucis Sapiencia bigis
 Tendere per textum versicoloris agri.
 Ilicet excutiens torpentia membra Veterno,
 Inuolo in amplexus deliciasq̄ue meas.

Illa sinu exceptum placidis circumligat vlnis,
 Detergens mœstis nubila lumimbus.
 Nec mora, percunctantem, ac dicere multa parantem,
 Per liquidum admisis aëra vexit equis.
 Lumine tum refugo visi decrefcere montes,
 Inque suos mergi culmina celsa sinus.
 Mox terram eripuere natantia nubila celo,
 Humentes Hyadum Pleiadumque lares.
 Tandem Hyperionium superauimus axibus orbem,
 Qua sub Amaltheæ semita lacte nitet.
 Applausere Deæ vaga sidera: fassaque victam,
 Occuluit roseas Cassiopæa genas:
 Et canis Erigones motâ sua gaudia caudâ
 Prodidit: hic plausus virginitatis erat.
 Tandem luce nouâ micuit procul aula Tonantis,
 Cuius erat Sophie pars satis ampla domus.
 Hic viridi smaragdo radiosque vibrante topazo
 Septenâ serie sculpta columna nitet.
 Non illi sudauit Ion, bimarisque Corinthus:
 Doctior eximium dextera struxit opus.
 Tectum augustum ardet flammâ iaculante pyropo;
 Fulgurat in totâ lamina fulua domo.
 Astrorumque pauit marmor caeleste plateas,
 Qualis ab Alpino frigore crusta micat.
 Interluit onyx operi, flammâque amethystus,
 Et flammâ adamas sardonichesque domunt.
 Cuncta stupens oculos dum flecto reflecto per aulam,
 Quæ species oculos detinuere meos?
 Hic quidquid gremio completitur Amphitrite,
 Hic videas quidquid lucida templa tenent:
 Quidquid & Eois gemmantur roribus agri,
 Et quos occiduis Phœbus inaurat equis.

Hic

Hic videas tenero cunabula prauia mundo,
 Hic simulacra, quibus nobile creuit opus.
 Mille nitent species, & rerum mille figura:
 Quin & quod nihil est, hic negat esse nihil.
 Mens hec feta parit, Sophia adiuuat Ilithyia,
 Quosque dedit partus, hos fouet alma sinu.
 Hic vbi stellanti folio Sapiencia sedit,
 Insolitas roseo sparsit ab ore faces.
 Erubuit Phæbus sua lumina lumine vinci,
 Erubuit Phæbi lumine cassa soror,
 Aternique ignes flammam occuluere minorem:
 Vna fuit Sophia didita flamma polo.
 Hæc speciem rebus, lucisque adflabat honorem;
 Suppressit lucem lux tamen illa meam.
 Intueor Sophia (quid enim spectare vetabat)
 Stellantes oculos, & dolere mei.
 Effundor cupidè per tot spectacula; verùm
 Caligant nimium lumina passa iubar.
 Senserat hoc Sophia pia cura, iubarque resorbens,
 Atque homini propior, se minor, ora tulit.
 Cerno, ait, ætherea nictantia lumina flamma,
 Mox erit in tenebris huic medicina malo.
 Nec mora, præcipiti vacuum per inane volatu
 Attonitum ignoto climate Diua fitit.
 Non ita flammivomis Phaëthon excussus habenis,
 Vstus ad Eridani præcipitavit aquas:
 Non ita præpetibus Jouis armiger æra pennis
 Findit, vbi implumes sollicitantur aues.
 Redditus hinc terris (dederant nam somnia terras)
 Conspicor erroris stultitiæque Lares.
 Lucus erat, cui vasta Thetis circumflua, qualis
 Fertur Vlyssæas detinuisse rates.

Hic si fortè vagis nebulosa per aquora portus
 Obtigerit, terris altera cura manet.
 Ecce tibi perplexa rubis, nemorosaque texta,
 Et labyrinthæis compita secta viis.
 Gnosidis hinc cum nulla regant vestigia fila,
 Luditur immensum, conteriturque labor.
 In medio spelunca nigro submota recessu,
 Quam numquam auricomis sidere Phœbus adit.
 Ingredimur sectam ramosa in compita noctem
 (Præbebat Sophia prouida cura facem.)
 Tandem iter implexum emensos per opaca viarum,
 Excipit æthereæ lucis mane cauum.
 Non roseas radiata genas ibi purpurat Eos:
 Ast ignes fatui, vermiculique micant:
 Qualiter in bustis frustrantur lumina flammæ
 Dum regnat furuum nox adoperta caput.
 Hac habitat loca senta situ male sobrius Error,
 Deliri capitis, amphibiusque senex.
 Vidimus exsortem lucis titubare per umbras,
 Dum pede semipedi claudus hiulcat iter:
 Antra velut Siculus terebrato lumine Cyclops
 Exploratrici lustrat opaca manu.
 Hærebat lateri thalami pars blanda iugalis,
 Annis disparilem quam sociarat Hymen.
 Stultitiam dixere oculi sub fronte natantes,
 Dissutaque gena, & gutture risus hians.
 Hos circum agglomerant umbræ sine sanguine vulgus,
 Plurima quæ stygio germina fusa specu.
 Infera colluuiæ studii operata parentum,
 Stultitiæque graui turbine quassa caput.
 Pars avidis fumos vlnis sectantur, & umbras:
 Pars tendunt volucris retia rara Notò:

N

Atque

Atque aliquis gaudet conchis educere bullas :
 Atque aliquis leto murmure plaudit humum.
 Hi subigunt steriles delusis dentibus auras :
 Hi sibi delicias assidis ova coquunt.
 Fallor? an Isacides vili se pulte saginat?
 Fallor, an hic fallunt aurea vota Midam?
 Sunt quis Sisyphæi labor irritus impete saxi,
 Sunt quis Tantaleo luditur amne sitis.
 Denique matrissant nata, natiq̄ue patrissant.
 Me tamen haud vanè vana theatra docent.
 Ludicra dum cupidam pascunt spectacula mentem,
 E tenebris oculos lux inopina ferit.
 Nam quid dissimulem? (semel insaniuimus omnes)
 In speculo vultus intuoꝛ ipse meos.
 Non ibo infitias, quemuis rotat aura furoris:
 Nostraq̄ue cur lacrymis vita lique scat, habet.
 Hic ibam in lacrymas, cum pulsa Hyperionis ictu
 Frondea cum somno deserit umbra caput.
 Tunc recolens pulsi ludibria vana soporis
 Ingenio reperi pabula grata meo.
 Quantum stultitiæ tenebris sapientia distet,
 Hoc unum didici; cetera somnus erant.

PROSA EXEGESIS.

CVM nullam in Regiâ fortunâ beatitatem deprehendisset Ecclesiastes, sed omnia vano fastu gaudiisque falsis permisceri, ad Sapientiæ se castra transtulit, si fortè maior ex illâ felicitas in hanc vitam mortalem redundaret. Itaque vt olim, ita & nunc, *Opravi, inquit, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & preposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi*

Sap. 7. 7.

Vest. 10.

dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Et quemadmodum olim pro luce & cynosurâ habuit sapientiam, quâ in hoc tempestuoso rerum humanarum freto vitæ cursum dirigeret; ita nunc etiam hoc interesse vidit inter sapientiam & stultitiam, quod inter lucem & tenebras, diem & noctem, lynceos oculos & cæcitatem.

Et ecce primo statim intuitu, affulgente cælesti radio, in ipso vestibulo sapientiæ, tamquam in limine Delphici oraculi, inuenit documentum illud plusquam Philosophicum, Nosce teipsum. Quod cum altè eius animo infedisset, mox Regiæ fortunæ splendorem, quem non absque diuinæ maiestatis iniuriâ tantopere suspexerat, contempsit, ac pro nihilo habuit: & superbas cogitationes suas dementiæ accusans, cum gemitu exclamauit, *Quid est homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* Quam sententiam vtinam vt chartis, sic mentibus omnium mortalium consignare potuisset! non tam facile improbi, superbi, scelerati diuina iudicia ad iniquam arbitrij sui lancem reuocarent; non tam facile, qui rerum potiuntur in terris, supremam Dei maiestatem contemnerent. Si pulueris ac luti sui originem intuerentur Principes ac Reges, non temerè in has voces erumperet Nabuchodonosor: *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu meâ?* non tam proteruè iactaret Holofernes: *Sciat omnis gens, quia Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* non tam insolenter Israelitis exprobraret Rabfaces: *Nec Deus vester poterit eruere vos de manu meâ.* Denique si funestos eorum exitus, quos modò in medium produximus intueretur, non tam impudenter sese erigeret humana proteruita. Perhorresceret, credo, illorum supplicia,

Initium sapientia, nosse seipsum.

Dan. 3, 15.

Judith 5, 29.

2. Paral. 32, 15.

2. Machab.
9, 12.

quorum insolentiam imitaretur; & cum superbo Antiocho iam vermibus scatente hanc palinodiam recantaret: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

Sapientia
instar Solis.
Lactantius
lib. 2. c. 8.

Sapientia
Soli præ-
fertur.

Seneca de
Breuitate
vitæ c. 14.
& 15.

Sed redeamus in viam cum Ecclesiaste. *Vidi, inquit, quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Quibus verbis innuit, eximium quoddam lumen esse sapientiam, quæ proinde nulli rei aptius comparetur, quàm Soli, huius vniuersi oculo. Quemadmodum enim Sol oculorum, inquit Lactantius, sic sapientia lumen est cordis humani. Insistamus paulisper huic comparationi. Sol ille corporeus, dum cursu diurno orbem circuit vniuersum, quidquid in tenebris iacebat, luce suâ perfundit, & oculis nostris spectandum exhibet. Sed multò sanè luculentius multiplices naturæ opes expandit sapientia; &, quod illi singulare est, etiam abdita terrarum penetrat, quò nullus radiis solaribus datur accessus. Nec præsentis tantùm temporis fœtus, pulchramque rerum varietatem, quemadmodum sidus illud corporeum, nobis repræsentat; sed ad omnium sæculorum admiranda nos spectatores admittit, & omnium, quotquot orbe toto fuerunt, thesauros nobis communicat. Pulchrè ac subtiliter (vt omnia solet) hoc obseruauit Seneca. Ad res pulcherrimas, inquit, ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur: nullo nobis sæculo interdictum est: in omnia admittimur. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum rerum naturâ in consortium omnis æui pariter incedere. Quanam illa felicitas est, ex omni retrò antiquitate delectum habere ingeniorum? familiares tibi reddere, quos quotidie consulas, quibuscum

buscum de minimis maximisque rebus deliberes, à quibus verum audias sine contumeliâ, lauderis sine simulatione, ad quorum te vultum moresque conformes. Solemus dicere, non fuisse in nostrâ potestate, quos sortiremur parentes: sed, si rectè ratiocinamur, nobis ad arbitrium nostrum nasci licet. Nobilissimorum Sapientum variæ sunt familiæ: elige, in quam adscisci velis; elige, quem melioris vitæ velut alterum parentem dicas: non in nomen tantùm adoptaberis, sed in ipsa bona. Siue Augustinum aliquem delegeris; inuenies qui te sanâ doctrinâ fulciat: siue Hieronymum; ad intelligendos sacros codices tibi facem prælucebit: siue Chrysostomum; omnipotentiâ quadam eloquentiæ inordinatis affectibus tuis dominabitur: siue Gregorium; præclaris eius institutis ac documentis vitam tuam moresque compones. Si rursus sacrarum Litterarum monumenta scrutari visum fuerit, aut cum Moyse naturæ, vt ita dicam, incunabula mundi que primordia recognoscas, aut cum Euangelistâ Ioanne cælestibus spectaculis animum pascas, aut cum Regio Vate in laudes diuinas exspatiaberis, aut in Iobo illustre par athletarum inuenies, & spectaculum sapiente dignissimum, virum fortem cum aduersâ fortunâ compositum. Quid multa? viro sapienti orbis patet vniversus, & omnia illi sæcula seruiunt. Transiit tempus aliquod? Hoc recordatione assiduoque studio comprehendit. Instat? hoc ad solidarum virtutum mercatum vitur. Venturum est? hoc solerti cogitatione præcipit.

Contra verò stultus in tenebris inscitæ confenscens, præteritum tempus ignorat, præsens operosè nihil agens dissipat, & cum nihil egerit quo se vixisse

*Stultitia
in tenebris
versatur.*

testetur, futurum desperat. In rebus gerendis non rationem, sed impetum sequitur: & cum in fortunam impactus fuerit, subito in medio turbine rerum obstupescens quærit quomodo huc peruenerit. Si alios in consilium adhibet, non veteres, illos quos dixi, consulit, qui nihil dent auribus, sed instar Roboami, præsentium, maximeque adolescentium adulatione recreatur. Hic in ipsâ carnificinâ se mitissimum gaudet prædicari, alius in rapinis liberalissimum, alius in ebrietate ac libidine temperantissimum. Si nullus adulantium plausus circumstrepit, ipse sibi stultus applaudit: & quantumcumque vitiis scateat, quidlibet tamen potius quàm seipsum mentisque tenebras accusat; similis illi fatuæ, cuius ad Lucilium meminit Seneca. Harpasten vxoris meæ fatuam scis hereditariû onus in domo meâ remansisse. ipse enim auersissimus sum ab istis prodigiis. Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus: meipsum intueor. Hæc fatua subito desuit videre. Rem tibi narro incredibilem, sed veram. Nescit se esse cæcam: subinde pædagogum suum rogat vt migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illâ ridemus, nobis omnibus accidere certum est. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos sine duce erramus. Quare hoc tantum discrimen inter sapientem ac stultum considerans Ecclesiastes, non immeritò cum gustu aliquo atque approbatione sapientiæ conclusit: *Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat.* Sed ne ex hac sapientiæ prærogatiuâ solidum gauderet gaudium, importuna mortis admonitio interuenit.

3. Reg. 12.

8.

Stultus
adulatione
delectatur.Seneca E-
pist. 50.

SECTIO QUINTA.

ECCLESIASTES.

- VERS. 14. Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus.
15. Et dixi in corde meo: Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente meâ, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.
16. Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter vt indoctus.
17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuersa esse sub Sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.

METRICA PARAPHRASIS.

POST gratos *Sophiæ amplexus, blandosque fauores*
Haustumque diæ conscium lucis iubar,
Nubila iam calcare gradu, celsoque micantes
Rebar ferire vertice astrorum domos.
Dicebam: Nunc me per Solis utrosque penates
Dea centilinguis aureo curru uehet:
Et fastidita fugiam contagia terræ,
Tristesque lessos, funebresque naniæ.

Hei

Hei mihi, quòd miseros tot splendida somnia ludunt,
 Beatitatis melle fucata oblita!
 Ac velut illimis numquam deuoluitur amnis,
 Humana nulli gaudia ad purum fluunt!
 Æternaturos Sophiæ dum sector honores,
 Ingratus aurem vellicat præco necis.
 Omne citans, inquit, nullo discrimine nomen
 Lanifica simili Lachesis inuoluit colu.
 Siccine me stultumque eadem Libitina recondet,
 Meritisque dispar nomen exitio pari?
 Cur igitur Sophiæ mystes pallente lucernâ
 Toties edaci tabui curâ miser?
 Quorsum Phœbeis frondent mihi tempora fertis?
 Hederaeque sacri verticis lambunt comas?
 O vanum Pimplæ decus! vanæque Camæna!
 Et litterarum turgidi fastu greges!
 Omnibus hoc fatum est, potare obliuia Lethes:
 Nox vna doctum condet & stupidum caput.
 Miramur factum ingenij, doctamque papyrum
 Tenues per auras futili vitâ exui?
 Marmoribus quondam exesis monumenta fatiscunt:
 Trabesque celsas vertit in cariem dies:
 Splendida sic rerum dum nomina proteret atas,
 Oblivionis alta nox cuncta obruet.
 Dic vbi Niligenis gymnasia nota Sophistis?
 Vbi nunc Abellæ proditum antiquis sophos?
 Aut vbi quos Thecna sapientia protulit orbi?
 Aut quos Idumes docuit oraculum Theman?
 Nil quidquam superest de tanti nominis vmbra:
 Iacentque tumulo prorsus ignorabiles.
 Sic doctum indoctumque eadem tegit vrna sepulchri,
 Et sordet æquè maior ac minor cinis.

O *vita infelix! ô Lerna inuisa malorum!*
Si vita dici meruit hoc mortis genus.
Quam quacumque vagos Titan agit æthere currus,
Aut ludus angit, aut pudenda vanitas.
Eluêtere licet capita hæc, capita illa malorum,
Noua semper hydra fœnore insurget nouo.
O mihi quis terricæ rumpat fastidia vitæ!
Mortale nil affecto: nunc calum sequor.

PROSA EXEGESIS.

TRISTE haud dubiè ac permolestum accidit Eccle-
 siastæ, pronum iam atque incitatum Sapientiæ Sapiens
mori &
obliuioni
obnoxius.
 ad gloriam atque immortalitatem cursum, iniectâ
 mortis eamque secuturæ obliuionis admonitione suf-
 flaminari. Cùm enim hæc inter ceteras non postrema
 Theologis nostris occurrat ratio stabiliendæ animo-
 rum immortalitatis, quòd homo, quasi diuinum quod- Lessius de
Immorta-
lit. animæ,
Ratione 1.
 dam animal, quidlibet animo fingat, & nouos in men-
 te suâ mundos architectetur, quòd rationes rerum vni-
 uersales à materiâ, loco, ac tempore diuulsas, per se
 contempletur, quòd ipsa quoque obiecta, non vt ami-
 ca sensibus, sed secundùm proprias rationes, vt vera,
 ac æternis rationibus conformia sibi representet; de-
 nique quòd illimitatam quamdam sortitus sit intelli-
 gendi facultatem: æquum sanè videbatur, vt qui ani-
 mum à contagione carnis abductum in Sapientiæ pa-
 læstrâ præ ceteris exercuissent, eosdem æterna Sapien-
 tia à mortis, aut certè, quod proximum erat, ab obli-
 uionis interitu vindicaret.

Hoc postremum sibi persuasum habuit Seneca de Seneca de
Breuit. vi-
tæ, c. 15.
 vitæ breuitate differens. Sapiens, inquit, multum pa-
 tet vita, non illum idem, qui ceteros, terminus inclu-
 dit.

O dit.

dit. Solus generis humani legibus soluitur: omnia illi sæcula, ut Deo, seruiunt. Plus etiam innuit certamen illud opinionum, quod inter Stoicos reperitur: quorum nonnulli stultorum animas mox interire censerunt, sapientum autem ad aliquot centena annorum millia quodam quasi immortalitatis genere donari. Sic enim Tacitus: Non cum corpore, ut sapientibus placet, extinguuntur magnæ animæ. Et apud Laërtium Cleanthes omnes permanere ait usque ad conflagrationem mundi (quam, ut antè dixi, post trecenta millia annorum recurrere, tradit Iulius Firmicus) Chrysippus solas sapientum. Sed futile est illud Stoiorum discrimen, & vanum cerebri commentum. *Moritur doctus similiter ut indoctus, unusque & stulti & sapientis occasus erit.* Fatetur hoc idem ille qui suprâ Sapientes à communi lege eximere videbatur Seneca. Conditor ille iuris humani non natalibus nos nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi verò ad finem mortalium ventum est, Discede, inquit, ambitio: omnium quæ terram premunt, si remps lex esto. Quid igitur? nullamne prærogatiuam habebit in terris animus ille tot studiis vigiliisque confectus? ille tot scientiis excultus? illud sapientiæ sacrarium? illud diuinarum humanarumque legum tabularium? illa communis vitæ norma, & spirans quædam lex? Nullam habebit. An nec illud saltem assequetur, ut vitæ breuitatem possit æternâ posteritatis memoriâ consolari? Ne illam quidem mercedem vitæ laudabiliter actæ natura cum sapiente pacta est. *Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient.* Quotusquisque est illorum sapientum, quos plurimos ante cataclysinum diuini-

Lipf. Physiolog. li. 3. cap. 12.

Seneca Epist. 91. Omnes mortis obnoxij.

uinitus institutos esse non est dubium, cuius vel solum nomen sit ad posteros propagatum? Quis vel centesimum eorum Sapientum nouit, qui Homeri, Solonis, Pythagoræ, Platonis ætate innumeros sapientiæ candidatos celebritate nominis sui in Ægyptum, Chaldæam, Græciam, Italiam exciuerunt?

Præterea ut de iis loquamur, quorum nomina crebro vsurpantur, ubi nunc liber Democriti de constantia? ubi alterum eiusdem opus de tranquillitate animi, quod egregium volumen vocat Seneca? ubi Panætij Stoici eadem inscriptione liber, & alius item Hipparchi Pythagorici? Et ne nimis obsoleta producere videar, quàm multos Scriptorum laude claros commemorat Athenæus, & multò recentioris memoriæ Photius Patriarcha Constantinopolitanus, quorum illustria scriptorum monimenta æternâ obliuione sepulta sunt? Horum verò, quos hæcenus litteratus aliquis ab obliuione vindicauit, nihil fermè præter nomenclaturam nouimus. Ceterum albine fuerint an atri, quo genio aut ingenio, quibus moribus aut rebus gestis, plerumque nescimus.

*Scriptorum
monimenta
interiunt.*

Photius in
Biblioth.

Sed quòd decora nouimus vocabula, ait Boëtius,

Num scire consumptos datur?

Iacetis ergo prorsus ignorabiles,

Nec fama notos efficit.

Boëtius de
Consolat.
lib. 2 Me-
tro 7.

Et ut demus, Sapientum scripta omnia manibus teneri, ac in iis viuam animi effigiem nobis representari; quàm diuturnum id futurum est? Maior ne spes cuiquam affulgere potest ingenij sui monimenta ab interitu vindicandi, quàm magnis illis eloquentiæ ac Philosophiæ principibus Ciceroni & Senecæ? Et tam

Lipius in
Vitâ Senecæ,
cap. 10.

brum de Terræmetu, aliumque de Superstitione, & (quod maximè deplorant eruditi) Moralium libros, temporis nobis malignitas inuidit. Et vt alia Ciceronis præteream, nonne duo præstantissima eius ingenij deposita nescio quis casus, an fatalis quædam posteriorum ignauia dissipauit? Consolationem scilicet de morte Tullia, in quâ paterno affectu stimulos acuen- te, seipsum vicit eloquentiâ; & sex de Republicâ libros, quo fetu non alium ipse tenerius complexus est, aut maiore laude profecutus. Si præcipuis summorum virorum monumentis obrepfit obliuio, quis reliquis eorumdem lucubrationibus æternitatem pollicebitur?

*Vana est
nominis im-
mortalitas.
Boëtius de
Consolat.
lib. 2. Pro-
sâ 7.*

Vt tamen demus hæc æternatura, cuius tandem pre-
tij nobis erit hæc nominis immortalitas? Nam, vt ait
Boëtius, si, quod nostræ rationes credi vetant, toti mo-
riuntur homines, nulla est omnino gloria; cum is, cuius
ea esse dicitur, non existat omnino. Sin verò sibi mens
benè conscia, terreno carcere resoluta, cælum libera pe-
tit; nonne omne terrenum negotium spernit, quæ se,
cælo fruens, terrenis gaudet exemptam? Si denique la-
sæ maiestatis diuinæ rea æternis inferorum suppliciiis
mancipatur; quis tandem gloriæ sensus aut gustus ad
miseros illos ex gratâ posterorum memoriâ redunda-
bit? Quid enim Socrati, quid Platoni, quid Aristore-
li, quid Zenoni, quid Senecæ, quid Ciceroni inter in-
ferni cruciatus tot sæculorum encomia plaususque con-
tulerunt? Laudantur vbi non sunt, ait Augustinus, tor-
quentur vbi sunt. O misera mortalium conditio! ô tri-
ste calamitosæ huius vitæ fastidium! in quâ nec vir-
tus, nec voluptas, nec temulentia, nec sobrietas, nec sa-
pientia, nec stultitia, vanitatis ludibriis eximuntur. Si
hæc omnis vita, quamcumque in partem te verteris,
vani-

August.

vanitati obnoxia est; quæ tandem consolatio viris bonis est reliqua, nisi vt Deo se probent, æternisq̃ue rationibus vitam instituant, & sic demum postumam in cælo beatitatem præstolentur? de famâ in terris propagandâ nihil laborent, sequatur vel mala, dummodò bonam apud posteros mereantur.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

- VERS. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub Sole studiosissimè laboravi, habiturus heredem post me,
19. quem ignoro, vtrùm sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui. & est quidquam tam vanum?
20. Vnde cessavi, renuntiauitq̃ue cor meum vltra laborare sub Sole.
21. Nam cùm alius laboret in sapientiâ, & doctrinâ, & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo, vanitas, & magnû malum.
22. Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, quâ sub Sole cruciatus est?
23. Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nõnne vanitas est?

METRICA PARAPHRASIS.

FATA si vanos Sophiæ labores
 Arguunt, mentem quibus impolitam
 Cordaque optavi radius supernæ
 Tingere lucis.

Quid miser, curis, macieque turpi
 Comparo vermis lutulenta terra
 Dona? & insomnes studio minori
 Dedico noctes?

Ite funesta, stygiæ paludis
 Filie exsanguis, fera monstra, cura:
 Nec mihi vestra resonent tenaci
 Compede crura.

Ergo me numquam radius serenet
 Phœbus innubi volitans quadrigâ?
 Semper obstipam taciturna condent
 Nubila frontem?

Quis furor mentem solio æuiterno
 Debitam sædo temerare limo, ut
 Erutis mundi tumulo periculis
 Turgeat arca?

Feta quæ curis peperit cupido
 Lucra, discinctus malè perdet heres,
 Quem dabit consors thalami imminuto
 Fortè cerebro.

Ille Therfites, decoris paterni
 Degener sanguis, patrio labore
 Instruet pompam statuæ superba
 Splendidus Hermes.

Ille festiuis epulis gnathonum
 Farciet ventres, patrijque succi

Rore Lenæi laticis suaves
 Condiēt haustus.
 Anne huic quidquam simile aut secundum
 Inter hæc ludibria vanitatum
 Phœbus emenso referens quadrigas
 Repperit orbe?
 Ergo iam fessus, residique anhelans
 Pectore, in fluctus maris Adriani
 Trado sollertes Boreæ Notoque
 Ferre labores.
 Nam quid exhaustos animos fatigem,
 Peruigil si quod labor aggregauit,
 Inter heredis digitos refusum
 Diffluit aurum?
 Ingeni partum stolidus vorabit:
 Otium fructus comedet negoti:
 Vt fauos die spoliat melissæ
 Nectare fucus.
 Ille, quem gazis pavidò incubantem
 Pectore, examen stimulis laceffit
 Mille curarum laqueata circum
 Tecta volantum,
 Quos legit fructus animi subacti
 Vomere erumna? Quibus ille damna
 Gaudiis pensat pereuntis aui, &
 Luminis imbres?
 Cura mordacem premit agra curam,
 Et catenati subeunt dolores
 Culcitrâs ditum, vigilesque ducit
 Purpura noctes.
 O caue si cui pateant auari
 Pectoris crates, quibus hîc procellis

Sors

Sors inexpleta furit in ruinam
 Naufraga mentis!
 Mitiùs fluctus glomerante Coro
 Vnda per Syrteis fremit æstuosus:
 Mitiùs pontum Libycis refringit
 Euris arenis.
 Sic vagos diues gemit inter æstus
 (O procellosæ pila Vanitatis!)
 Querneis arca tabulis sepulto
 Pauper in auro.

PROSA EXEGESIS.

*Auarorum
 labores
 vani.*

SI laborem ac studium sapientiæ impensum non absque censurâ vanitatis esse voluit Ecclesiastes, eò quòd in hac vitâ condignâ mercede frustretur; multò potiori iure curas illas, industrias, vigiliasque iam detestatur, quæ rebus fluxis & caducis, adeoque luto ac limo, vilissimisque terræ facibus, plerumque in gratiam ingrati heredis impenduntur. Hic autem non eorum tantùm qui auaritiæ, sed etiam qui ambitioni student, genius est, ut cum aut opibus accumulandis, aut familiæ propagandæ dant operam, sibi omnia subtrahant, heredi omnia destinent. Vnde non ineleganter Phædrus:

*Phædrus
 lib. 4.*

*Tibi dico auare, gaudium heredis tui,
 Qui tristis audis musicum citharæ sonum,
 Quem tibi arum macerat iucunditas,
 Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
 Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
 Cælum fatigas sordido periurio.*

Non absimile mihi hoc genus hominum videtur prægrandibus illis ac domesticis coruis, quos Sinarum
 Man-

Mandarini habent piscationi adsuetos. Horum colla <sup>Avarus ge-
nium suum
defraudat.
Mattheus
lib. 6. Hist.
Ind.</sup> nodo ita laxo constringunt, ut nequaquam interclusa
respiratione, cibos tamen nec transmittere nec deglu-
tire possint. Ita è caueis emissi sese admirabili solertia
in aquas immergunt, pisciculosque minutos ore con-
ceptos, maiores verò rostro apprehensos, domum
identidem referunt. Sic miseri illi, quasi dæmonis
emissarij, in gratiam aliorum prædis assiduis ac rapi-
nis exercentur: iis etiam deteriores, qui ad metalla
damnati sunt; quibus post diurnos labores saltem no-
cturna ab opere cessatio est. Hi verò vel tum maximè
ordinandis negotiis, ne dicam consuendis fraudibus
intenti, nullam quietis partem capiunt. Et cum ma-
gnas opes siue iustis negotiis siue iniustis corraferint,
ne illud quidem à se possunt impetrare, saltem ut ali-
quod inde senectuti solatium accersant. Noui ego in
Belgio virum, qui cum heredi futuro centena aureo-
rum millia congregasset, ipse seniculus frusto panis &
casei onustus supra viginti milliaria Italica pedes con-
ficeret. Cumque meridie refectiois causâ ad hospiti-
um diuertisset, prolatis illis suis frustulis, hoc solum
in sumptum adiici voluit, ut caupo medium cereuisiæ
poculum sibi promeret. Tum caupo: Hoc saltem, o
bone, genio tuo indulge, ut integrum promam pocu-
lum. nam filius tuus ante octiduum rhedâ magnificè
vectus, cum hac iter haberet, in se suosque (liberaliter
vino refectus) decem aureos vno prandio expendit: tu
saltem sesquiassis sumptum facere ne verere. At ille:
Filius meus, qui mundi fastum sequitur, faciat quod
se decet, mihi mea sobrietas sufficit. An est quidquam
tam vanum?

Sed illud longè indignissimum est, quòd plerum-
que

P

que

*Anarus sa-
pè heredi
degeneri
laborat.*

Sabellicus
lib. 5. En-
neade 7.

4. Regum
20, 21.

3. Regum
12, 10.

*Heredes
sapè prodigi
ac decaito-
res.*

Athenæus
lib. 4. c. 12.

que omnis laboris industriæque fructus ad eiusmodi deuoluitur heredem, quem ignores, vtrum sapiens an stultus futurus sit; imò (vt ferè sunt Heroum filij noxæ) quem scias iam fungum esse ac fucum, stipitem & caudicem, Hermæque trunco simillimum, aut, quod etiam detestabilius est, flagitiis omnibus coopertum.

Nemo omnium qui ante Seuerum Imperio Romano præfuerunt, ditiores illo filios reliquit, sed nemo turpiores, Bassianum scilicet fratricidam & Getam. Sic & Ezechias ingentes illos thesauros, quos Legatis Babylonij Regis ostentarat; degeneri prorsus ac flagitioso reliquit Manassi. Nec vanus augur opprobrij familiae suæ fuit Ecclesiastes. Satis enim parentis omen confirmauit, suamque stultitiam hoc vno responso prodidit Roboam, quo decem tribuum iacturam fecit: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos scorpionibus.*

Et hi tales vbi in congestos aceruos instar porcorum irruentes, cum Caligulâ paulisper in auro volutati fuerint, ad luxum fastumque paternis laboribus abutuntur; & quod parentibus multorum annorum sudorem thesaurus fuerat, illis penuria est. Cabrias, apud Athenienses Princeps victoriis clarissimus, omni-que genere laudis florentissimus, opimam Ctesippo filio hereditatem reliquerat: ille tamen, postquam decoxisset, etiam lapides paterni sepulchri (in quod mille drachmas populus Atheniensis impenderat) impiè prodegit. I nunc, & nocturnis diurnisque laboribus corpus exhauri, vt ingrati heredis luxuriam sudoris tui ac sanguinis impendio pascas. I nunc, & curâ salutis posthabitâ, per fas per nefas ingentes thesauros congere, ne desit heredi quod dissipet.

At,

At, inquires, naturæ iura dissimulare nec possum nec debeo. Vincit me pietas, ius sanguinis compellit, natura ipsa, quasi iniectâ amoris manu, captiuum me trahit vinculis charitatis. An non affectum erga se meum extorqueant lacrymis perfusi consanguinei, & in splendida veste sordidati? annon filij suspiriis exhausti, & miserabili specie ægrotantis lecto circumfusi? Quid externo schemate planctuque commoueris? Simulata sunt hæc officia. Ne crede lacrymis, quas periculum recuperandæ salutis tuæ potiùs, quàm mortis, extorsit: dum præsentiam tuam sibi aduersari existimantes, obicem putant esse cupiditatis suæ quòd viuus. Ne crede raucis circumstantium suspiriis: corui sunt & vultures, cadauer expectant.

Saluianus
lib. 3. con-
tra Auarit.

Filiorum
affectus sa-
pe simula-
tus.

Si tamen his omnibus paternus præualet affectus, & in filiis cetera dissimulans, hoc tantùm attendis quòd filij sunt; cur non omnes, qui hoc nomine veniunt, in partem æqualem veniunt affectus paterni? Videmus enim fermè illos hereditate paternâ filios excludi, qui se diuino obsequio consecrarunt. Nullis à suis minus relinquitur, ait Saluianus Massiliensis, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minùs respicit, quàm quos Religio præcipuè commendat. Indigni iudicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione: ac per hoc vnâ tantùm re viles parentibus fiunt, quia Deo cœperunt esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quod nullus panè apud homines vilior sit quàm Deus, cuius vtiq; fit despectione, vt eos præcipuè filios spernant parentes, qui ad Deum cœperunt pertinere.

Parentum
erga filios
affectus in-
ordinatus.

Saluianus
ibid.

Sed negligamus hoc filiorum discrimen, quod Religio parit, & eos, qui in sæculo supersunt, magis tibi cu-

Parentes
propter he-
redes pro-
prium salu-
tem negli-
gunt.

Matth. 16,
26.

Hierony.
Epist. 8. ad
Demetria-
dem.

Plutarch.
in Pho-
cionc.

ra & cordi esse debere concedamus. Quid? tantopere cuiquam cordi erit filiorum opulentia, ut animæ negligatur egestas? An ita se totum filiorum negotiis impendet parens, ut nunquam sit suus? O misera terræ mancipia! *Quid enim proderit homini, ait Ecclesiastes, de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, quâ sub Sole cruciatus est?* aut, ut ait Christus, *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Scitum est illud Comici, Omnes sibi meliùs velle, quàm cuiquam alteri. Quanam igitur hæc dementia est, cum illicò citandus sis ad supremi Iudicis tribunal, posthabitâ salutis curâ, hoc solum ut animo voluas, quàm lautè heres tuus relictis à te opibus eat ventri litatum? An fortasse vereris, ne non satis profusè filius tuus helluetur, & à te congesta dissipet? Ne metue. vtinam tu tam saluus esses, quàm tua tibi atque heredi peribunt! Vis igitur fructum aliquem laboris tui decerpere? Quæ labor peperit caduca, tu misericordiæ operibus fac æterna. Laudent te, ait Hieronymus, esurientium viscera, non eructantium opulenta conuiuia. Sed quid heredi meo futurum est. O vanæ mortaliū curæ! Illi nimirum nepoti, illi helluoni, illi gurgiti rogas quid facias? Hoc scilicet, quod Phoco filio suo fecit Phocion: qui cum esset vir optimus ac sapientissimus, filium habuit vsque adeò vino deditum, ac moribus tam dissolutis, ut ne Spartanâ quidem disciplinâ ad sanio rem mentem reduci potuerit. Cum autem Menillus Phocionem, certum munus respicientem, rogaret, ut saltem Phoco filio illud acciperet; respondit: Phoco, si mutatâ vitâ ad frugem se receperit, patrimonium qualecumque sat erit. nam ut nunc quidem se gerit, nihil vniquam illi sufficiet. Præclare

clare docens, non luxui filiorum seruiendum, sed salutis: neque tantam eorum habendam esse rationem, ut propriæ salutis cura deferatur: quod satis etiam insinuat Ecclesiastes, dum subiicit:

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 24. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

25. ^a Quis ita deuorabit, & deliciis affluet ut ego?

26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiā: ^b peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat, & congreget, ^c & tradat ei qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

^a Venera sic habet: Et quis iustius comedet, aut quis festinabit ad laborem meum magis quam ego.

^b Tigurina versio habet: Aberranti autem à recto itinere.

^c Symmach. & Campes. ut dentur illi cui placuerit Deo.

METRICA PARAPHRASIS.

QVIS furor proprias vorare fibras,
 Exsanguis macie exarare vultus,
 Noctes ducere nescias soporis,
 Pistrinoque teri improbi laboris,
 Ut fungus generis, patrique dispar
 Fortune spoliis fruatur heres?
 Dic, si nec graue, nec tibi molestum est,
 Quisquis arbiter es beatitatis,
 Dic, an non satius bonis potiri?
 Et post tædia sordidi laboris

Securum placida vacare vita?
 Quisquam viuere, dum potest, recuset?
 Auri qui cumulo gemit reposito
 Heredis memor, immemor suique
 Sibi mancipij struit catastam,
 Dignus perdere, quod negat fruisi.
 At cui canula dapfili paratu
 (Iustum diuitis arcule tributum)
 Et fragrans genio litat Falernum;
 Hic demum sapit, & sui potitus
 Insigni Superum fauore gaudet.
 Et quis iustius occupet labores,
 Vestigalque suo imperet labori,
 Massicumque, epulasque, sportulasque,
 Quam quem perpetuus labor fatigat?
 Terram vomere quis secat colonus,
 Nec dono Cereris famem saginat?
 Quis vites viduis maritat vlmis,
 Nec dulci recreat sitim Lyæo?
 Hanc mentem Superi bonis, amoris
 Hanc arrham dederunt, vt aucupentur
 Vita tempora, prosperosque fuluis
 Nummorum radius dies serenent,
 Iugi letitie dies sacratos.
 Sed quem tramite deuio vagantem,
 Nummorumque cupidini dicatum
 Frato Deus intuetur ore,
 Huic mentis dedit improba flagellum,
 Rodentesque dedit fouere vermes,
 Insomnesque dedit fouere curas,
 Vt fuluam, gremio abditus Cybeles,
 Pradam diripiat vel ex Auerno:

*Aut per naufraga regna fluctuanti
 Merces Antipodum sequatur alno:
 Aut turgentibus horreis, Libysâ,
 Quidquid verritur areâ, recondat:
 Et cùm diuitias soli pararit,
 Et cùm diuitias salsi pararit,
 Quin & diuitias Stygis pararit,
 Partis diuitiis inops, fameque
 Enectus tumulo inferatur exul,
 Discincto bona transferens nepoti,
 Aut quem fors Deus ipse surrogarit.
 O vanissima cura vanitatis!*

PROSA EXEGESIS.

TAMETSI nihil in hac vitâ mortali sit ex omni
 parte beatum, & quocumque te cogitatione con-
 uerteris, in aliquem vanitatis scopulum impingas; op-
 portuno tamen consilio interuenit Ecclesiastes, & ali-
 quem saltem laboris industriæque fructum ostendit,
 quo se possit ex parte sapiens in hac tantâ acerbitate
 consolari: vt nimirum quæcumque assiduo labore,
 curâ, sollicitudine conquisiuit, verè solideque possi-
 deat, non autem ab iis ipse possideatur: vt diuitias
 apud se in seruitute esse iubeat, non in imperio patia-
 tur: vt non tam illas suspiciat, aut stulto complexu-
 stringat, quàm ad omnes vitæ opportunitates, atque
 omne genus obsequij velut ancillas emittat. Nihil est
 enim tam angusti animi, tamque parui, quàm amare
 aut suspicere diuitias: nihil honestius magnificentius-
 que, quàm pecuniam contemnere si non habeas, si
 habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre,
 & vt verbis Ecclesiastæ insistam, hilari animo mini-
 meque

*Diuitiis
 imperan-
 dum est.*

*Cicero li-
 bro 1. Of-
 ficiorum.*

*Vtendum
diuitiis.*

meque contracto comedere & bibere, & ostendere animam suam bona de laboribus suis. Verum enimvero, quid hoc monstri fuerit, cum dies noctesque colligendis vitæ subsidiis incumbas, inter tot subsidia vitam pati contabescere? Primum igitur quod naturæ sat est (quæ moderatum exigit tributum) honestè ac liberaliter, non fordidè, neque cum gemitu concedatur.

*Diuitia bene-
ficientia
& elemo-
sina ser-
uiant.*

Sed quoniam auctore Deo philosophantem, ac diuino spiritu concionantem audio Ecclesiasten, plus inuenere mihi videntur hæc eius verba, *ostendere animam suam bona de laboribus suis*, quàm comedere & bibere. Itaque & beneficentiam commendant, qui est alter diuitiarum fructus, & illam potissimum, quæ pauperibus exhibetur: ex quâ quantum boni in animam redundet, nemo facillè cogitatione comprehendat. Inexhaustæ enim sunt opes beneficentiæ, ait Agapetus: nam largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur. Quemadmodum scaturientes putei, tametsi multum exhausseris, ad pristinum statum reuertuntur, ait Clemens Alexandrinus: aut vbera, quò frequentius emulgentur, eò turgescunt magis.

*Agapetus
Epist. ad
Iustinianum
Cæs.*

*Clemens
Alexand.
lib. 3. Pæ-
dag.*

*Elemosy-
na fœnus
animæ.*

*Chryso-
stomus.
Homil. 34.
in Genes.*

Sed longè vberior ab hac beneficentiâ fructus promanat, quoties in pauperibus Deo sceneramus. Parum argenti erogamus, ait D. Chrysostomus, aut esurientem pascimus, & horribili illo extremi iudicij die fiduciam consequimur, & audimus verba nulli regno conferenda: *Venite benedicti Patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare*. Nundinæ profectò quæstuosissimæ! vili nobis pretio constat quod carè vendamus, imò quod nullis diuitiis æquiparemus. Compendiosa negotiatio: panis fragmento, aut calici aquæ frigidæ, merces æterna rependitur. Denique tanta vis est ele-

eleëmofynæ, ait idem sanctus Pater, vt multâ cum fi-
 duciâ suos in cælum introducat alumnos. Est enim
 cæli nota ianitoribus, sponsalis thalami fores obser-
 vantibus. Nec tantum nota, sed etiam venerabilis est:
 vnde cultores suos nemine repugnante introducet. Ita-
 que hi sunt amici illi, qui, cum defecerimus, recipient
 nos in æterna tabernacula: quos cum operibus miseri-
 cordiæ demeremus, non egenis largimur, ait Magnus
 Gregorius, sed patronis potius munera offerimus.

Hom. 33.
 ad Pop.
 Eleëmofy-
 na poten-
 tia.

Luc. 16.

Gregorius
 lib. 11. Mo-
 ral. c. 14.

Quemadmodum igitur apud Romanos rebus suis
 bene consulebant, qui patronos apud Imperatorem
 (quos etiam Reges ac dominos vocabant) aliquo mu-
 nere sibi deuinciebant; ita rebus suis præclare consu-
 lit, & animæ suæ bona ostendit, qui hos cælestes auli-
 cos, & Christi vicarios, in communionem laboris &
 industriæ suæ adseiscit. Multoque certè meliùs hic re-
 rum suarum satagit, quàm qui propriæ salutis imme-
 mor, & animæ suæ curam in postremis habens, totus in
 eo versatur, quo pacto labores suos ac sudores ingratis
 heredibus transferbat. Quam dementiam sic perstrin-
 git Propheta: *Non dabit Deo placationem suam, & pre-
 tium redemptionis animæ suæ.* Et post pauca, *Simul insti-
 piens, inquit, & stultus peribunt, & relinquent alienis diui-
 tias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Me-
 rito hos tales stultitiæ condemnans, qui hoc vel ad cau-
 sam, vel ad eumulum ruinæ suæ adiecerunt, vt relin-
 querent alienis diuitias suas. Quid enim tam stultum
 est, tamque perditum, quàm vt quis sibi de rebus suis
 non consulat, sed in propriam potius perniciem here-
 dem locupletet? *Quis instius, ait Ecclesiastes, ad labores
 meos festinabit, id est, opibus à me conquisitis fructur,
 quàm ego?* Non omnino insulse (quamuis propter intem-

Auarus se
 & salutem
 negligit.

Psal. 48, 8.
 v. 11. & 12.

Eccle. 2. ex
 versione
 Venetâ.

peran-

Lamprid. in
Helioga-
balo.

Saluanus
lib. 3. ad
Ecclef. Ca-
thol.

perantem luxuriam flagitiosè) respondit Heliogabalus, rogatus an in tam profuso luxu futurè nihil timeret inopia: Quidlibet, inquit, eueniat, dummodò partis fruar. cui enim meliùs heres fuero, quàm mihi & vxori? Sed potiori ratione hoc in re nobis proposità sic vsurpat Saluanus. Numquid potest cuiquam quidquam propius aut charius inueniri, quàm quilibet sibi ipsi? Suam cui-libet vestrùm animam, suam spem, salutemque com-mendamus. Et pios vos esse dicitis, cum heredes diligi-tis? Ego verò contendo, nihil vobis inhumanius, nihil magis ferum aut impium dici posse, à quibus hoc im-petrari non potest, vt vos ipsos diligatis. At filii, ne-potibus, amicis consulitis. Esto. Est enim charitatis plena excusatio. Sed est modus in rebus, neque vllum cuiquam tam charum pignus, quod animæ præferatur. Iustius est igitur, aliquid heredibus deesse de patrimo-nio, quàm testatoribus de salute.

Hanc sapientiam & scientiam homini bono in conspectu suo dedit Deus, vt ne cui meliùs de suis facultatibus con-sultum velit quàm sibi, & quod inde consequens est, solidam fundatamque lætitiã. Peccatori verò dedit affli-ctiõnem & curam superflua, vt addat & congreget, & tra-dat ei, qui placuit Deo. Dignum sordidã illã cupiditate supplicium: quod vt exigatur, nihil opus est Furiis diuinæ iustitiæ administris; ipse sibi tormentum est inordinatus animus, suoque malo, quod nutriuit ac peperit, contabescit,

Claudian.
lib. 2. in
Ruffin.

Cyprian.

*Fœdãque auaritia complexæ pectora matris
Insomnes longo veniunt examine cura,*
animumque in mille partes discerpunt. Nec intelligit miser, inquit Cyprianus, speciosa sibi esse supplicia, auroque se alligatum teneri, & possideri magis, quàm possi-

possidere diuitias. Quare vilibus hisce de catastrâ mancipiis, quæ catenâ & ferro circumducuntur, & ad omnem auaritiæ velut heræ suæ nutum se fingunt, merito D. Bernardus abiectos animos sic exprobrat: Con- Bernardus
Serm. 21.
super Can-
tica. formaris crumenæ tuæ, tamquam seruus dominæ suæ. **Q**uemadmodum enim ille isti necessario & congruet gaudenti, & dolenti condolet; sic tu cum crescente marsupio tuo crescis pariter animo, & cum decre- scente decrescis. Nam & contraheris tristitiâ, cum illud exinanitur; & lætitiâ solueris, aut certè inflaris super- biâ, cum impletur.

Sed crudeliùs etiam sæuit impotens illa domina Auarus in
luto ver-
satur. auaritia, & quemadmodum olim Tamberlanes ca- Iouius in
Vitâ Baia-
zeti I. ptum Baiazetem I. Turcarum Imperatorem vilissi- mis impendit obsequiis, & in luto ac cæno manibus pedibusque nixum, dorsum sibi equum ascendenti præbere iussit; sic auaritia quos sui fecit mancipij, in luto ac cæno conculcat, aut assiduis vilissimisque la- boribus exercet. Neque enim miseri illi, quantum hactenus corraferint, sed quantum cupiditas, quæ in- finita est, requirat, expendunt.

Quo consilio autem tot se curis vigiliisque confi- ciunt? aut quo fine conquirunt, quod nullo fine co- Auarus at-
teri labo-
rat. aceruent? nimirum vt quod genio suo subtrahunt, *tradant ei qui placuit Deo*: qui placuit, inquam, non tam moribus aut vitæ meritis (hoc enim minus habet va- nitatis) sed designatione ac destinatione heredita- tis; siue vt Chaldæa paraphrasis habet, *vt tradant illi quem elegerit Deus*, aut vt Symmachus, *cuicumque Deo placuerit*. At cui tandem? Pudet dicere. Non rarò fu- co, fungo, nepoti, decoctori, ingrato, perfido, hosti, parricidæ. Sæpè quod auarus summâ congestit sollici- tudi-

Ambrosius
lib. 1. Offi-
ciorū, c. 49.
Decolori.

Helluoni.

Suetonius
in Caligula,
c. 38.
Ingrato.

Dion. in
Tiber.

Sueton. in
Tiber.

Hosti.
Valerius
Maximus
lib. 7. c. 3.

Iouius in
Vitā.
Parricida.

Olaus Ma-
gnus li. 16.
c. 44.

tudine, ait D. Ambrosius, præcipiti effusione dilapidat heres luxuriosus: & diu quæsitæ turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improuidus, inexplebili quadam absorbet voragine. Profundissimus helluonum gurges olim fuit C. Caligula: & tamen quàm multi eum laboris ac sudoris sui scripserunt heredem? At ille pro gratiâ ludibrium rependebat, illusores vocans eiusmodi testatores, quòd post nuncupationem heredis viuere perseverarent: multisque venenatas misit matteas, vt eos è medio tolleret.

Eâdem ingratitude Tiberius in miseros testatores grassatus est. Nam & Ruffum Geminium, à quo heres scriptus erat, in Senatu accusauit, in speciem quidem quòd mollis & effeminatus haberetur, re autem verâ vt hereditate potiretur. Quid enim causæ adferre potuit, cur Cn. Lentulum Augurem è medio tolli curarit, virum Patritio genere, vitæque modestiâ ac virtute conspicuum? Nulla certè alia fuit, quàm quòd is cum heredem scripserat.

Quid L. Valerium commemorabo, qui Cornelium Balbum hostem rogatum expertus, à quo, præter ceteras lites, capitali crimine accusatus fuerat; præteritis aduocatis & patronis suis, solum reliquit heredem, nimiâ consternatione, quæ animum eius transuersum egerat, deprauatus. Quid porro Baiazeti II. profuit, immensas opes Imperij Turcici congeffisse? Nõne thesauros illos Selimo parricidæ filio reliquit, qui operâ Iudæi Medici veneno patrem è medio sustulit? Quid Visburi Gothorum Regi auaritiæ sordes profuere? nõne à propriis filiis, quibus eâ de causâ contemptui fuit, cum totâ familiâ flammis absumptus est?

Quæ omnia cum per se vanissima sunt, tum illa po-

potissimum gravem scelerum vindictam inter Christianos arguunt, cum testatores quidam, qui filiis carent, tantâ cæcitate caligant, ut opes suas malint externorum luxui, quàm propriæ salutis subseruire. Hinc licet femine sanguinis sui careant, ait Saluianus, quærunt tamen quoscumque alios, quibus substantiam propriæ facultatis addicant: quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, quos sibi quasi adoptiuos imaginarij parentes filios faciant, ut in locum eorum, quæ non sunt, pignorum, perfidiâ generante succedant. Ac sic miseri cum filiorum vinculis non constringantur, ipsi sibi vincula fabricant, quibus à subsidio propriæ salutis arceantur: & cum vis domesticarum necessitudinum nulla sit, foris discrimen arcessunt: & licet causæ desint periculorum, ruunt tamen velut in interitum voluntarium. Procul hanc à se arcebit amentiam, quicumque diuino munere perspectum habuerit, neminem sibi, quàm se, chariorem esse; neque vlli rei potius labores suos, quàm æternæ quieti ac salutis, seruire debere.

Auarus luxum externorum propriæ salutis præfert.

Saluianus lib. 3. ad Eccl. Cath.



Q3

SPECV-